



DISPUTATIONUM THEO-<sup>39</sup>

LOGICARUM

DE

SACRIFICIIS

SATISFACTIONIS CHRIS-

TI PRO PECCATIS TOTIUS MUN-

DI PRÆSTITÆ, TYPIS FIR-  
MISSIMIS.

*Adversus recentiores Arianos seu Photinianos, Satisfactio-  
nem CHRISTI omnem pernegantes*

D U O D E C I M A:

Quod post ascensionem Christi locus & ignis sacrificiorum  
divinitus fuerit destructus, & Quod ab illo tempore in hunc usq; diem  
iste restaurari non potuerit, & nunquam restaurari possit deinceps.

Q U Æ

In Collegio Disputationum Theologicarum privato in Templo Arcis  
ad d. 2. Augusti. Anno 1710. incluta VVitteber-  
gensium Academia habebitur.

PRÆSIDE

VVOLFANGO FRANZIO, S.S.

Theologiae Doctore, & Professore Publico.

RESPONDENTE

M. HIERONYMO WEIXELBERGERO,

Welsens. Austrio.

---

*VVitteberga, Typis Jobannis Gormanni.*

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,

*Amplissimis, virtutum splendore, longore-  
rum usu & Authoritatis decore  
prestantissimis,*

Inclutæ Welsensium Reipublicæ

**Dn. CONSULI, D. IU-**

**DICI, DD. SENATORIBUS** reli-  
quis omnibus ac singulis Prudentissi-  
mis, Consultissimis

*Patriæ, Patribus, Religionis uniois Lutheranae de-  
fensoribus, Musarum nutritijs, Mecœnatibus  
& Patronis suis eternum colendis,  
venerandis, suspiciendis,*

Hanc Disputationem Antiphotinianam  
in grati animi & debitæ observantiæ in-  
dubitatum testimonium

*Submisit*

*Offert & Consecrat*

**M. Hieronymus Weixelbergerus**  
**Austriacus.**



Elw Deo

I.



Uæ restant ex nostris Sacrificialibus

Problematis, duo ultima, inter sese valde cognata, conjungere placet, & ita simul & semel demonstrare hæc duo. 1. quod non longè post ascensionem Christi etiam locus, ignis, & ritus sacrificiorum fuerit mirabili providentia divina destructus. 2. quod eadem mirabili providentiâ divina jam ultra sesqui mille annos, frustra novum ignem & prioris Sacrificiorum loci restorationem expectent, & frustra post-hac quoq; expectaturi sint Judæi.

Propositio

II. Ersi verò de utroque Problemate rectius dici poterat, quid opus est verbis, ubi facta loquuntur, item tam divinam esse ultimi excidij Hierosolymitani magnitudinem, ut sufficiat tacere, quam nimis pauca dicere, sicut de Carthagine dixit Salustius, tamen sic ferente meditationum harum continuatione, si non omnia, saltem summa rerum capita propter Judæos melius evincendos, & ad nos attrahendos recensere curæ piæ precium fuerit aliquod.

III. Ac initio quidem DEUS ipse terram Chanaan à temporibus Abrahami elegerat præ cunctis alijs in terram illam, hoc unico fine, ut fieret patria Messia. Et ad hanc evocavit occupandam Abrahamum, inq; hac voluit posteritatem Abrahami benedicere, multiplicare, & tam diu conservare, donec in ea, & ex ea produceret Messiam. Ad hunc igitur finem dirigendæ & explicandæ sunt omnes promissiones rerum corporalium peculiares & magnificæ, quas DEUS huic populo dedit: quarum etiam magnifico splendore elati Judæi cunctos tandem populos & terras præ se spreverunt.

Quo fine Deus Israelitæ in peculiarem populum sibi elegerit.

IV. Immò quando peccatis DEUM sceleratissimis tandem provocaverant, & jam digni erant, qui non amplius tolerarentur

Superbia despicens alios in illa populos, &



peccandi au-  
dacia unde  
in Judæis  
quibus tem-  
pore fluxerit.

Multos Pro-  
phetas habi-  
erunt Judæi  
inde à Mose  
usq; ad Chri-  
stum, & cur  
tamen tam  
paucorum  
scripta ex-  
tent, que  
pleraq; agunt  
de captivita-  
te Babyloni-  
ca & de ejus  
solutione.

Hodiernorū  
Judæorum  
Scripturis de  
alio tempore  
loquentibus  
abutentium  
fallacia.

in illā terrā, tamen isti promissioni innixi statuebant, quod D E-  
U S non possit ipsos ex terra Chanaan inter alias gentes disper-  
gere, alioquin periclitaturam promissionem D E I, quam de Mes-  
sia intra terram Chanaan ex Judæis producendo dederat. Et  
quando D E U S salva justitiā suā aliter facere non poterat, sed

exilio Babylónico eos plectere cogebatur, ibi simul excitare  
necessum habuit Prophetas illustriores, qui utrumq; docerent,  
D E U M scelerum magnitudine commotum ad puniendum de-  
scendere necesse habere, sed tamen D E U M suo tempore sua  
promissa intra eandem terram Chanaan in posteris Abrahæ com-  
pleturam, post 70. annos revocaturum Judæos, restauraturum &  
conservaturum Politiā, donec re ipsa exhiberetur Messias.

V. In Chronico Funcij (Jonas &) Oseas ponitur circa an-  
num mundi 3150. quem sequuntur Abdias, Amos, Esaias, Joel,  
Micheas, Habacuc, Sophonias, Jeremias, Ezechiel, Daniel qui  
ponitur circa annum mundi 3420, ut ita hi Prophetæ vixerint  
& prophetarint intra 270. annos, quibus ipsis & promittuntur  
spatia pœnitentiæ, & post neglecta spatia pœnitentiæ intermina-  
tiones de captivitatibus immittendis, & de ipsis calamitatibus  
istis immittendis, & prænunciations de ijs solvendis complentur.  
Antea etiam sine dubio Prophetæ fuere, sed scripta nulla eorum  
extant, sicuti horum.

VI. Cum primis quia non potuit non prævidere æternus &  
omniscius D E U S populi sui novam quandam, erga ipsum suo  
tempore appariturum Messiam, eamq; extremam ideoq; acerrimam  
pœna vindicandam ingratitude, per Prophetas suos lon-  
gè antea dispersionem, & *παραδειξιαν* ejusdem Politiæ præde-  
monstravit plenissimam. Apud hodiernos Judæos solet magno  
cum spiritu adversus nos urgeri divina promissio, Deut. 4, 27. &  
sequent. *Disperget vos Iehova inter populos & relinque mini, homines pau-  
ci numero in gentibus, ad quas deducet vos Iehova.* 29. Quod si requi-  
sieris illinc Jehovam D E U M tuum, tunc invenies. Item Deut.  
30, 3. *Cum conversus fueris (in exilio de quo capite 28. & 29. durissi-  
ma narrantur) ad Iehovam D E U M tuum, tunc reducet Iehova  
D E U S tuus captivitatem tuam, & miserebitur tui, & conver-  
sus congregabit te de cunctis populis, ad quos disperferit te Jeho-  
va De-*

va DEUS tuus, si fueris ad extremum coeli dissipatus, illinc congregabit te Iehova DEUS tuus & reducet te ad terram &c.

VII. Notum igitur, inquam, est, Iudæos in his sententijs divinis hodiè omnem suam habere repositam fiduciam, quod & nunc tandem eos DEUS sit reducturus, sicut jam olim ex captivitate Babylonica reduxerat juxta promissionem hanc specialiter à Jeremia applicatam, Jerem. 12, 15, & 16. 15. & 24. 6. & 29. 10. 14. Verum enim verò statim in exiru ex Ægypto in ipso Deuteronomio Deus ut prævidit, Iudæos ex Ægypto in Chanaan introductos, & ibi Messiam expectare jussos futuros tam improbos, ut cogeretur eos certo tempore ante exhibitum ipsis Messiam ex eadem ejicere: ita Prophetico more tunc statim prædixit per Moſen ipsis istas captivitates, & tamen simul admisit spem de reditu, ne de exhibendo Messia vel ipsi dubitare vel alijs populis scrupulum movere possent. Loquitur igitur Deuteronomium de statu captivitatis Babylonicae.

## PRÆDICTIONES DIVINÆ

de destructione politiae sacrae.

IX. Porro inter vaticinia de ultima & plenaria destructione Politiae Abrahamicae seu Judaicae principem aliquem locum obtinet illud Gen. 49. AVFERETUR Sceptrum de Iuda, & legislator de inter pedes ejus, vel nullus amplius ex Iudæorum semine oriundus aderit, se d nec Sceptri aut regiminis, præsertim civitatis liberrime supererit vestigium. Jaçant hodierni Judæi se adhuc habere sceptrum, seu jurisdictionem, & ad certum locum, verbi causa, aut Francofurtum ad Mænum, aut Venetias citare solere ex alijs regnis delinquentes, & ibidem pœnas dictare, quas spontè subeant accusati & condemnati: Allegare solent exempla casuum aliquot adulterij, cujus reos macerarint supplicio aliquo corporali, quod isti susceperint, & sibi met ipsis inflixerint. Et hanc instantiam speciosis prætextibus pingere norunt, ut incautis focum faciant, nec prorsus falluntur omni suo conatu. Id quòd interdum eventus execrandus in Apostatis aliquot Christianis prodidit. Allegant etiam privilegia, quod jurisdictionem sibi ab exteris regibus in-

I. Testimonia de plenaria quadam Politiae Mosai- cae destructione.

Ante 40. annos ad ulte-

ra Judaica

de sententia Rabinorum

Francofur-

tensium cer-

tis diebus per

astatem in

base formicis

semi referto

nuda sedere

jussa fuit &

strictè pœnâ

tulisse à Ju-

dæis narra-



alijs provincijs indulgētia, quæ tamen qualia sint, nobis non satis potest constare.

*Obiectio recentium Judæorum.*

**IX.** Addunt cum primis, quod in captivitate Babylonica iridem sceptrum non amplius habuerint, & quod à Pompeio & Augusto fuerint domiti, nedum à Vespasiano, & quod hæc à Romanis subjugationes factæ ut ut diuturnæ & longissimæ videantur, tamen per omnia censendæ sint similes captivitati Babylonice. Jam ergò (*inquiunt hodierni in colloquijs*) non sequitur, nec valet hic Syllogismus: *Quamprimum sceptrum fuerit ablatum de Juda, tum certissimo credendum est, venisse Messiam. Sed in captivitate Babylonica accidit, quod sceptrum fuit ablatum de Juda, Ergò in captivitate Babylonica venit Messias.* Simili igitur modo nullius est (*inquiunt*) valoris hic Syllogismus: *Quando sceptrum fuerit ablatum de Juda, tum certissimè venit Messias. Sed à temporibus Vespasiani aut antea sceptrum fuit ablatum de Juda aut de Judæis. Ergo ab illis usq; temporibus seu jamdudum venit Messias.*

*Responsio ad objectionem Judæorum.*

**X.** Verùm enim verò probè expendendum venit, quale & quodnam sit illud Sceptrum, quod tunc auferretur de Juda, quando venerit Messias, juxta vaticinium Prophetiæ Jacobiticæ. Et iniriò negari non potest, inter hodiernos Judæos vigere cum primis excommunicandi potestatem, cui sese spontè reliqui subijciunt. Primùm enim inobedientes levi, mox gravi, & nisi pareant tandem acerrima feriunt excommunicatione illa, ut, in excommunicatione mortuos, lapidibus percutiant & obruant, qua de re legatur *Christianus Gerson* in Thalmud Judæorum cap. 25. Negare etiam non volumus emta à regibus magno pecuniæ cumulo privilegia ipsis alicubi constare posse.

**XI.** Et possent in hanc sententiam exempla allegari Judæorum Laicorum, qui magno interdum numero ad Christianismum aspirare voluisse visi fuerunt, & aspirassent, nisi ab uno Rabino magnæ auctoritatis senatus Christianus muneribus corruptus Laicorum cœtui Judaico sub pœna seditionis silentium & quietem mandasset. Hoc peccatum in Domini nostri **JESU CHRISTI**, Salvatoris & Redemptoris sui proprij patruelium æternam salutem commissam, num aliqua responsione coram tribunali



tribunali Christi aliquando palliare saltem possent, Politici tales ipsi cogitent.

XII. Scilicet in plurimis locis causa indurationis Judaici populi, qui pertinet ad cognatos Jesu Christi proximos, est una, illa politicorum quorundam jam dicta ratio, de qua judicatu Judex universorum mortuorum & vivorum, Jesu Christe. Similes sunt alia, quas hoc loco recensere non lubet, ut nec illud, quod quoad controversias Theologicas similibus strophis ludatur inter Politicos quosdam Christiano nomine gloriantes, contra Ecclesias Christianas alias atq; alias veras.

XIII. Sed & talia scepra jam indigitata retinebunt aliqui Judæi usq; ad extremum diem, Manebunt enim tales Judæi usq; ad extremum diem *benè multi* pertinaces, & ita alicubi locorum habebunt suas jurisdictiones jam delibatas. Et poterunt tales Judæi qui longè post nos, paulò ante ultimum diem vivent, eodem pacto argumentari. (*Quamprimum sublatum fuerit sceprum de Iudæa, tum certissime venit Messias, At ante extremum diem sceprum Judæorum non omne auferetur, quia semper impij aliqui Judæi manebunt, & semper sceprum aliquod habebunt, Ergò ante ultimum diem Messias non veniet:*) Quapropter ad solidiorem veniendum est Oraculi Jacobitici enodationem, quæ sequitur.

XIV. Nimirum loquitur Patriarcha de illo scepro seu regno Judæorum, quod tunc temporis, seu tempore istius visionis Iacobo offerebatur. Quale autem regnum seu sceprum fuerit in illa visione Patriarchali oblatum sancto Iacobo, ex toto contextu jam modo disputatione præcedente fuit decisum, nimirum regnum seu sceprum juxta mare illud, in quo mari erat Sidon, Gen. 49. 12. 13. regnum (inquam) seu sceprum in illa terra, quam Iacobo (ut & Isaac & Abrahamo) promiserat Dominus, quam terram ipse tunc in tabernaculis expectabat cum Abrahamo & Isaac, (passim per Genesin) cujus terræ statum in visione Iacobo Patriarchæ offert DEUS, Hoc sceprum seu hoc regnum in Iudæa erigendum non debet in Iudæa extinguere, nisi prius venerit Messias.

XV. Passum quidem fuit regnum seu sceptrum illud quamdam Eclipsin sub tempora captivitatis Babylonicæ, sed hoc ipsum fuit factum propter grandia tunc scelera à Judæis commissa, & prius divinitus à Prophetis quorum scripta hodiè extant, utrunquè pronunciatum. 1. quod DEUS necesse habuerit scelera tam varia tunc temporis vindicare, & 2. quod isti vindictæ præfinierit tempus 70 annorum, & quod post tot annos omnia ipsis in integrum velit renovare. Tale autem pronunciatum de hodiernis exilijs ad certos aliquos annos duraturis nullum omnino habent Judæi. Nullâ igitur ratione hodiernam diuturnam servitutem cum vetere servitute seu captivitate Babylonica conferre possunt.

*Obiectio Judæorum de subjugatione facta per Pompejum & Vespas.*

XVI. Quod urgent etiam, tempore Pompeij & Augusti & cum primis Vespasiani, fuisse ablatum sceptrum de Juda; nec tamen inde arguendum, quasi vel illius vel istius vel hujus temporibus venisse sit dicendus Messias, Respondemus, illa ipsa esse tempora nimirum Pompeij & Augusti, quibus sensim cepit auferri & destrui sceptrum de Juda. Maximi enim negotij res non ita subito fiunt, perfecto complemento, sed pededentim & successivè. Fuisse autem tempora Pompeij & tempora Augusti initia ablationis sceptri de Juda, eventus clarissimus protestatum fecit, siquidem tandem penitus & ita corruit regnum seu sceptrum Judæorum in illa terra, & intra illam terram, ut post tot secula, in hanc usquè horam reedificari seu restaurari nullis viribus potuerit humanis.

XVII. Testimonia de regno Judæorum post captivitatem Babylonicam restaurando intra Judæam sunt in promtu, & aliquorum supra facta fuit mentio. Huc pertinet Esaia caput 45. ubi Cyrus rex nominatim à DEO pronunciat & deputatur Præfectus liberationis populi DEI ex captivitate Babylonica: cujus ipsius rei testimonia extant plura in capite antecedente & in consequentibus. Tu verò cum primis D. Lutheri super Esaia loca illa commentarium consulte. Ex Ieremia legantur cap. 12, 16. Et 16. 15. *Vivit Iehova, qui ascendere facit filios Israel de terra Aquilonis, & de universis terris ad quas expulerat eos* Et 24, 56. *Sicut ficus ista bona, sic agnoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto, in terram Chaldaeam*

deam in bonum, Ponam enim oculos meos super eos in bonum, & reducam eos in terram hanc. Et 29. 10. Sic dixit Iehova, ut impleti fuerint in Babel septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum, 14. Inveniar à vobis & reducam captivitatem vestram, congregaboq; vos de universis gentibus, & de cunctis locis ad quam expuli vos, revertiq; faciam vos ad locum, unde transmigrare feci vos.

XII X. Legatur etiam Jerem. 31. 9. & sequent. & Ezechiel cap. 37. & sequent. Ideo enim visio de ossibus reviviscentibus ipsi fuit Prophetæ exhibita, ut discerent filij Israël, se esse mortua ossa in Babylone, mox verò revictura & reditura in Judæam, initium boni nuntij faciente Cyro, de quo Esaias cap. 44, 28. qui dicit Cyro, Pastor meus & omnem voluntatem meam perficiet, dicendo etiam ipsi Ierusalem, Ædificaberis, & templo, fundaberis. Sed tales promissiones de destructione & restauratione secundi templi (ut ut hodiè urgentur) proferre nullas possunt. Adde his Oseæ 3. 4. Dies multos sedebunt filij sine rege, & sine principe, & posthac revertentur filij Israel, & quærent Dominum DEVM suum, & Davidem regem suum (expectabunt Messiam, quia David longè antea mortem obierat.) Et quod secuta fuerit restitutio, Prophetæ Haggæus & Zacharias & Malachias satis apertè declarant.

XIX. Alterum testimonium funditus peritura Politia Mo-  
saica illius, quæ post captivitatem Babylonicam erat restauranda, II. Testimo-  
superat omnem claritatem apud Daniele cap. 9, 26. Urbem illam, nium de ple-  
Sanctuarium dissipabit populus ducis venturi. & finis ejus cum inundatione naria Poli-  
& usq; ad finem belli excidetur desolationibus. His autem verbis satis tiae Israeliti-  
docetur, ira evertendam Politiam, ut postea restorationi alicui ca destru-  
amplius locus nullus super sit. Quapropter Christus Matth. 24, ctione.  
2. Templi ædificia intuitus dixit discipulis suis, Amen dico vobis,  
non reliquetur lapis super lapidem, qui non destruat. Item Luc. 19, 43.  
44. Coangustabunt te undiq; & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui  
in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.

XX. Josephus de bello Judaico lib. 6. cap. 6. de quibusdam turribus Hierosolymæ hæc recenset verba: Mirabilis etiam fuit lapidum magnitudo, nec enim ex vulgaribus saxis aut quæ homines ferre possent, verum secto marmore candido, & singulis per

B

viginti

viginti cubitos longis, latisq; decem, ac per quinque; altis erant ædificatæ, quæ ita inter se copulata erant, ut singulæ turres singula saxa viderentur, sic autem [manibus artificum in faciem, angulosq; formata, ut nusquam junctura compaginis appareret. *Ibidem de templo*: Nonnullorum saxorum ejus, longitudo quadraginta quinque cubitorum erat, altitudo quinque; & latitudo sex. *Hæc omnia Iosephus*. Verum non tantummodò ipsos muros & lapides, sed urbis etiam ac politicæ viva membra, & florem quidem omnium virorum pestis illa bellica absumsit.

*Iosephi Historici locus insignis.*

**XXI.** *Audi enim iterum, lector, Iosephum de bello cap. 17. lib. 7.* Captivorum omnium, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millium comprehensus est numerus, mortuorum verò per omne tempus obsidionis undecies centum millia. Horum pleriq; gentiles (*NB. lector, à Iosepho intelliguntur extra Iudæam habitantes, Iudæi religiosi, sicut Act. 2, 5.*) fuerunt, non indigenæ, ab omnibus enim regionibus ad azymorum diem festum congregati bello subito circumfusi sunt. Quod autem caperet tantam hominum multitudinem civitas, certum erat ex his, qui sub Cestio fuerant numerati. Is enim tunc vires civitatis ac florem Neroni significari cupiens, contemnente nationem, à Pontificibus petijt, & si quomodo possent, multitudinem numerarent. Illi autem cum dies festus adesset, qui Pascha vocatur, quando à nona quidem hora usq; ad *VNDECIMAM* hostias (*NB. lector, agnos Paschales intelligit Iosephus Historicus*) cædunt, per singulas verò contubernia non pauciorum quam decem virorum fiunt, solum enim epulari non licet, multi etiam viceni conveniunt, hostiarum quidem ducenta & quinquaginta sex millia & quingentas numeraverunt. Fiunt autem, ut denos epulatores per singulas imputemus, viciescentena ac sepringenta millia sancti omnes & puri, nec enim leprosis aut semine fluentibus neq; mulieribus menstruo pollutis neq; alijs inquinatis participare sacrificia permittebatur, sed nec *ALIENIGENIS*, (*jam loquitur Iosephus historicus de Ethnicis, qui & ipsi catervatim Hierosolymam solebant ad festa convolare.*) quidem nisi qui religionis causa venissent. *Hæc Iosephus.*

*Explicatio quædam sus-*

**XXII.** Agnus Paschalis non est, propriè sic dictum sacrificium 1. quia nec ipsi imponuntur peccata, sicut alijs victimis. 2. quia

2. quia nec comburitur in atrijs templi super altare holocausti, per verba igne altaris, sicuti ita propriissime sic dicta sacrificia solent com- Iosephi præ-  
buri, sed 3. mactatur domi, intra privatos parietes, & assatur igne cedentia.  
in foco, à ministris domesticis.

XXIII. In Exodo 12, 6. habetur de agno Paschali verbum. Object. cum  
Hebræum  $\text{זָבַח}$ , quod significat mactare, cædere, & quia de Respon-  
sione,  
sacrificijs etiam usurpatur, quæ sunt prius mactanda & cædenda  
(Lev: 1, 5. & 4, 33.) Iccircò vocabulum hoc Hebræum interpre-  
res promiscuè reddiderunt etiam pro IMMOLARE, ut cernere  
licet in vetere tralatore, & in Pagnino & alijs. Immò Græcum  $\text{θύω}$   
eamdem experitur apud interpretes sortem. Non potest  $\text{θύω}$  signi-  
ficare sacrificium in his locis. Luc. 15, 23. filio prodigo redeunti pater  
vitulum saginatum mactare (non immolare) jubet, Marc. 14, 12. primo die  
azymorum quando Pascha (immolabant, vel ut Pagninus, sacrificia-  
bant) mactabant, dicunt discipuli: Vis ut paremus, ut Pascha edas. 1. Cor.  
5, 7 Pascha nostrum pro nobis immolatum (mactatum) est Christus.  
Matth. 22, 4. altaria mea occisa sunt (non immolata.)

XXIV. Annon verò  $\text{θύω}$  necessariò significet hostiam in  
locis alijs. Matth. 9, 13. & 12, 7. Marci 9, 49. & 12, 33. Luc. 13, 1.  
Act. 7, 42. Rom. 12, 1. 1. Cor. 10, 18. Ephes. 5, 2. Phil. 2, 17. & 4, 18.  
1. Pet. 2, 5. Hebr. 5, 1. & 7, 27. & 8, 3. & 9, 23. & 10, 1. 5. 8. 11. & 11, 4.  
& 13, 15. 16. ex contextuum ipsorummet coherentium subjecta  
materia quilibet facilimè ipsemet colliget.

XXV. Cerrum igitur jam est, quod in loco Iosephi HOSTIA HOSTIA  
sicut vertitur ab interprete latino, non denotet sacrificium, sed in preceden-  
agnos Paschales. Et ex his ipsis facilius declarabitur, illud quod te loco Iose-  
de Paschate Josiæ regis Celeberrimo commemoratur. 2. Par. 35. phi quidnā  
usq; ad versum 11. his verbis: Dedit Iosias omni populo, (qui ibi fue- significet,  
rat inventus in solennitate Phase) agnos, oves, & filios caprarum tri-  
ginta mille, & boum tria millia, de substantia regis, duces quoq; ejus obtule-  
runt tam populo, quam Sacerdotibus & Levitis: Helcias & Zacharias &  
Iabiel dederunt Sacerdotibus ad faciendum Phase duo millia sexcenta &  
boves quingentos, alijs Levitis ad celebrandum Pascha quinq; millia & bo-  
ves quingentos. Quo in loco duo millia & sexcenta, item quinque  
millia  $\text{שְׁנַיִם אֲלֶפֶיִם}$  ex versu 7. capræ & agni & oves debent subin-  
telligi.

*Agnos Paschales numero 256000 Hierosolymis uno tempore comederunt pluri mi pro more congregati Israelita.*

*Vbi regulariter agnus Paschalis comedi poterat.*

**XXVI.** Quapropter sicut hic agni & caprae ad Paschales epulas adhibebantur, (nam aut agnum ovium, aut capram masculini generis pro Paschate mactare ex divino precepto licebat Exod. 12, 5. sed oves & boves pro sacrificijs Paschalibus usurpabantur in diebus fermentatorum) ita quoque tempore annotato apud Josephum Historicum circa vesperam illius diei, quo agnus Paschalis erat comedendus, numerarunt hostiarum ducenta & quinquaginta sex millia & quingentas. Et cum Josephus expresse haec commemoraret de mactatione vespertina (ubi fuit instituta numeratio hominum, ut ex numero comedentium agnum Paschalem numerus Judaeorum investigaretur) consequens erit, quod sub his nullum sacrificiale, sed saltem agnos Paschales complecti voluerit, siquidem etiam multitudo sacrificiorum non vespere inchoari solebat. Nemo autem miretur tempore Josiae pauciores quam in hoc Josephi exemplo numerari pecudes. Nam Josiae temporibus nondum Judaei ita in immensum creverant, nec tam longe lateque dispersi fuerunt sub toto Sole, sicut ultimis annis, quemadmodum ex Act: 2. capite clarissime colligitur.

**XXVII.** Non autem potuit agnus Paschalis regulariter ut nec scenopeiorum festum, celebrari, nisi in urbe sacrificiorum, quae tandem fuit Hierosolyma. Deut. 16, 6. 7. Et si enim alij in alijs opidis non ex necessitate, sed ex pulchra pie recordationis imitatione agnos domi integros assare, in Paschate poterunt, etsi etiam propter metum bellorum, & propter alias similes causas, saepe numero idem factum fuit in alijs opidis quemadmodum colligitur ex 22. versus 2. Regum 23. analogia: Tamen interim regulariter ad locum jam dictum tanta solennitas praecise alligata durabat. Eodem igitur pacto DEUS rem omnem vindictae suae moderatus fuit, ut obsidionis ultimae primordia inciderent in Paschales festivitates. Tunc enim: ut loquitur Josephus, velut in carcerem tota gens fato conclusa fuit, & farris hominibus civitas ut bello obsideretur.

## *HISTORIAE DE TRIPLICI excidio Politiae sacrae.*

28. De

**XXIX.** De urbis destructione sub Tito, quam ea fuerit. Insignis gravissima, & ultima istius Hierosolymæ, quam post captivitatem vastatio Hæ Babyloniam reedificarent, audiatur iterum *αὐτόπτης* Iosephus Hierosolymæ lib. 7. de civitate cap. 18. in hunc modum sermocinans: Juber milites post Christum exal- Cæsar totam funditus eruere civitatem & templum: relictis qui- dem turribus, quæ præter alias eminebant, Phaselo, & Hippico, tatum sub & Mariamne, muriq; tanto, quantum civitatem ab occidente, Tito & Ve- cingebat. Id quidem ut esset castrum illic custodiæ causa relin- *spasiano.* quendis, turres autem ut posteris indicarent, qualem civitatem, quam vè munitissimam Romanorum virtus obtinisset. Alium- verò totum ambitum civitatis ita complanavere diruentes, ut qui ad eam accessissent, habitantem aliquando esse vix crederent. *Hæc ille.*

**XXIX.** Ut autem videat lector veritatem illius Christi, cum inquit, *Circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & co- angustabunt te undiq;* Luc. 19, 43; expendantur, quæ habet Iosephus lib. 6. cap. 13. de bello. Ibi enim deliberat Titus cum duobus, quid fieri oporteret. Placet igitur aliquibus, ut omnis miles ad- moveatur muris & sagittis obruendos Judæos, alijs verò placet, ut egressus eorum observentur, & ne victus introferretur, prohi- beatur: alii deniq; ut impleretur Christi prævisio, jubent fieri aggeres. Et hæc tertia sententia prævaluit.

**XXX.** His igitur dictis dux exhortatus, juber eos exerci- tus in opera distribuere. Divinus autem (*inquit Iosephus*) imperus quidam, militibus incidit: ambitumq; partiti, non solum recto- res inter se, verum ipsi etiam ordines certabant. Murus uno mi- nus XL stadiorum erat. Ad hoc autem foris castella tredecim ædificata sunt: eorum gyrus denis stadiis numerabatur. Totum autem opus triduo constructum est, ut id quidem dignum mensi- bus videretur, celeritas verò fide careret. Muro igitur civitas conclusa fuit per castella custodibus collocatis. *Hæc Iosephus.*

**XXXI.** Sic igitur Iudæi ab extra circum circa muro maxi- mo mirabiliq; circundati experiebantur, illud quod dictum fue- rat à Christo, *Circundabunt te.* Et hoc pacto tandem omnes interi- erunt aut occisi aut capti, quemadmodum ex historia notissimum est. Valde autem admiranda est divina prudentia, quæ voluit

**B**

reliquos

reliquos Evangelistas de excidio Hierosolymæ prævaticinatos  
moriante ipsum excidium, nec voluit, ut Iohannes, cuius vita se  
ultra excidium extendit, ea de re vel minimum conscriberet, nec  
etiam voluit Christianum aliquem illius historiam nobis relin-  
quere, sed excitavit hominem Iudæum & ἀυτόπλω, qui totum  
istud negocium patriæ suæ destructæ egregiè nobis compo-  
suir.

*Templum  
Hierosoly-  
mitanum  
fuit instar  
amplissime  
& munitis-  
sime seu ar-  
cis seu mu-  
nitionis.*

**XXXII.** Ad templum Hierosolymitanum quod attinet,  
stetit illud supra durissimum collem munitioni nulli cedens.  
Unde lib. 7. cap. 6. apud Josephum in hoc seditiosi sese abdid-  
erant, & quotidie militibus positis in aggeribus repugnabant.  
Immo cap. 9. Et si Cæsar firmissimo ariete parietem occidenta-  
lem exedræ templi pulsasset, tamen vim illam lapidum structu-  
ra superavit. Ventum igitur fuit ad suffossiones, sed itidem  
frustra, donec ignem terrores causa templo injicere iussit Titus,  
quem tamen postero die de ejusdem mandato iterum extinxere.  
Fit deliberatio de templo: placet aliquibus lege belli utendum,  
quod manente templo nunquam Judæi novis rebus possint desi-  
nere, quo omnes ubicunq; essent colligerent. Alij conservan-  
dum esse suadebant, si ab armis cessarent Judæi, si non cessarent  
ignibus consumendum, quod castellum jam videretur esse non  
templum. Titus verò dicebat fore templum ornamentum  
imperij, neq; se unquam illud incensurum, nec pro hominibus  
peccantibus vindicanda esse illa quæ carent anima. Et in hanc  
sententiam omnes ierunt. Imperat igitur iterum incendij prio-  
ris reliquias restinguere & conservare templum tantumq; per-  
dere seditiosos in templo.

**XXXIII.** Sed inquit Josephus lib. 7. cap. 9. *Templum planè  
DEI sententia jam dudum igne damnaverat.* Et cap. 10. Hic itaque  
tunc militum quidam non expectato cujusquam edicto neque  
tantum facinus veritus, sed divino quodam motus impetu, à contu-  
bernali suo sustollitur & ex ardente materia raprum ignem in  
fenestram inserit auream, unde ad membra circum templum  
ædificata de Septentrionali regione aditus erat. Mature autem  
hoc Tito quidam nunciat. Et ille exiit templumque curri-  
culo



culo perit, prohibitorius incendium, omnesque post eum duces *Animadvert*  
& hoc agmina *PERTERRITA* sequebantur. Clamor autem *te lector di-*  
ac tumultus erat tanto exercitu sine ordine comitato. *Cæsar vinam pro-*  
autem voce simul ac dextera pugnantibus signo dato ignem *ju-*  
videntiam, bebat extingui. Sed neq; vox ejus audiebatur, quod aures eo- *quod nec*  
rum major clamor obstrueret, nutumque dexteræ non attende- *Imper. ille*  
bant, cum alios bellum, alios ira distraheret. Introcurrentium *templum &*  
verò agminum imperum, non præcepta neque interminatio- *altare Hie-*  
nes continebant, sed quo furor eos duceret, sequebantur. *Hæc rosolymita-*  
*Iosephus.* *num cum*

**XXXIV.** Ad ipsos autem introitus (*pergit Iosephus*) conferti *igne sacrifi-*  
multi se invicem conculcabant, multi verò ardentibus & adhuc *ciali salvum*  
fumantibus porticum incidentes ruinis, eadem quæ victi patie- *potuit de-*  
bantur. Cum verò ad templum accessissent, edicta quidem *sensare.*  
Cæsaris non audire simulantibus, præcedentem quisq; ut ignem  
immitteret hortabatur. Magna verò populi multitudo, inva-  
lida & inermis ubicunque occupati fuerant, interficiebantur.  
Et *CIRCVM ARAM* mortuorum numerus congregabatur: per  
gradus templi, & sanguis multus profluebat, & eorum corpora  
qui supra ceciderant delabebantur. Cæsar autem ubi neq; im-  
petum insanientium militum continere poterat, & flamma do-  
minabatur, intro cum rectoribus ingressus, & sanctum templi &  
quæcunq; illic erant aspexit. *Hæc Iosephus.*

**XXXV.** *Sed audi ex eodem plura lector,* Cum autem flamma  
nondum ex ulla parte ad interiora penetrasset nec membra, quæ  
circa templum erant depalceretur, quod erat verum, existimans  
ad huc illud posse servari, & ipse prosiluit, & milites *ROGARE,*  
ut ignem restinguerent, conabatur: & Liberalem centurionem  
de stipatoribus suis, fuste mulctatos, qui non obedirent, iussit  
arcere. Illorum autem furor belliq; impetus quidam vehemen-  
tior, Iudæorumq; odia & Cæsaris reverentiam & prohibentis me-  
rum superabant: Plerosq; autem prædæ spes incitabat, su-  
spicientes intus omnia pecunia referta esse, quoniam fores auro  
factas conspicerent, præterea quidam miles ex his qui intrave-  
rant, cum Cæsar ad *INHIBENDVM* incendium concurrisset,  
ignem jam cardinibus portæ subjecerat, tumq; subirò, postquam  
flamma

flamma intrus apparuit, & duces cum Casare discedebant, & stan-  
tes extra succendere nemo prohibebat, Templum igitur hoc mo-  
dò INVITO TITO exuritur. *Hactenus omnia Iosephus.*

XXXVI. Ecce lector, libuit hæc, quæ nobis sunt confir-  
manda, testimonio gravissimo comprobata reddere. Templum  
igitur fuit instar castelli seu arcis munitissimæ, & plurimis ædifi-  
cijs undiq; cincti, in quod sese seditiosi receperunt. Cum au-  
tem vinci non posset, igne minari obsessis mandavit Titus, qui  
tamen citò restingui fuit iussus. Ratus igitur Titus templum  
ab incendio servari iustum fore ORNAMENTVM imperij Ro-  
mani, tandem totus in eam concessit sententiam, de templo in-  
columi strictissimè servando. Verum divina vindicta & provi-  
dentia aliud sibi proposuerat, unde divina virtute impulsæ milites  
contra tam potentissimi & præsentis quidem Imperatoris decre-  
ta & edicta & vocem vivam, tamen explere satagunt illam vo-  
cem Christi, *non relinquetur lapis super lapidem.* Immò sic tandem  
illa vice deletur tota illa urbs, toto orbe terrarum celebratissi-  
ma & munitissima.

XXXVII. Commemorantur versus de Felice Sacerdote  
Nolano, postea Episcopo, fugiente præ metu persecutorum, in  
speluncam, ita ut illic ab araneis festinanter circa foramen tela  
texerentur, quæ suspicionem nuperè intro illapsi Felicis aufer-  
rent. Facti illi dicuntur à Paulino & sic se habent. *Sic ubi Christus  
adest nobis & aranea muro est. At cui Christus abest, & murus aranea fiet.*  
Idem nunc experta fuit Hierosolyma, vindicem sentiens, jam  
tandem Christum, & veritatem verborum Christi Matth. 23, 38.  
*Ecce relinquitur domus vestra deserta. Luc. 21, 24. Ierusalem calcabitur à  
gentibus, donec impleantur tempora gentium. Et revera tam diu Ierusa-  
lem destructa calcabitur à gentibus, donec erunt gentes.*

Propter XXXVIII. Quod autem attinet ad causas destructionis à  
quas causas Iosepho alligatas, illæ Christianos nihil movere debent. In fine li-  
Iosephus Hi- bri (de bello) 6. ait: *Puto si Romani contra noxios venire tardassent,  
storicus scri- aut hiatu terre devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut sul-  
bat deletam minum ut Sodoma incendiis passurum. Multo enim magis impiam proge-  
esse Hieroso- niem tulit, quàm quæ illa tulerat. Quæ in specie ab alijs citantur ex  
lymam. Iosepho, de punito exercitu Herodis, propter cædem Iohannis  
Baptistæ*

Baptista lib. 18. cap. 7. Antiquit. Item de Jacobo seruo Domini interfecto, ex lib. 18. cap. 8. Antiquitatum: illa nondum attingunt scopum πανολεθρίας Iudaicæ.

XXXIX. Ipsi quoq; hodierni Judæi allegant in genere, se propter sua peccata exilium tam diuturnum pati. At cum urgentur, in specie peccata allegare nulla volunt. Si verò Christum non rejecissent, tùm DEUS alio modo sacrificijs suis finem imponere potuisset. Interim quia concurrerunt populi sui tam gravia peccata, tali durissimo medio locum, ignem & omnem ritum (prius ab Apostolis Christi voce abrogatum) ex hac rerum natura removere & dissipare voluit. Imò si pij fuissent omnes Iudæi tum post natum & passum Christum admonita Apostolorum sponte ipsi abdicassent sacrificia.

*Questio: Si Christum Iudei non rejecissent, quomodo sacrificia fuissent desitura.*

XL. Pater autem ex abundantia hæc omnia in obsessione ista Hierosolymæ facta fuisse ex singulari providentia divina, ita ut etiam potentissimus Imperator suis decretis, edictis, clamoribus nutibus, tum nihil apud exercitum suum valeret. Erat enim in fati, (ut loquitur aliquoties Iosephus) ut tum concideret nunquam amplius restauranda illa totius orbis urbs celebratissima.

XLI. Sed & eadem providentia divina magis adhuc elucescit ex illa, quæ ab isto excidio usque ad hodiernum diem durat, desolatione sacrificiorum constantissima. Maximè macerat Iudæos, quando à Christianis rogantur, cur non sacrificent amplius, cum illud toties in sacris Scripturis facere jubeantur. Aliqui, ut fucum faciant imperitiis, prætendunt, fieri à Rabinis ipsorum analogum aliquid sacrificijs, in illis locis, ubi eorum magnus reperitur numerus: Nec enim concessum istud esse omnibus & singulis.

XLII. Diligentissimè autem inquirentes fundamenta hujus ipsius responsi animadvertent eos loqui de enervatione carnis, quæ apud ipsos est usitata hodiernos unà cum violentissima & accuratissima expressione sanguinis ex fæmore postico. Notum enim est ex Gen. 32. de Jacobo, qui post colluctationem cum ANGELO DEI claudicabat super femur suum, & de eo, quod ibidem additur, nimirum, *Idcirco non comedunt filij Israel nervum contractionis, qui est in pala femoris, usq; ad diem hanc, quia tetigit palam femoris Iacob & nervum contractionis,*

*Fucus recipientium Iudæorum,*

An mos Iu-  
daeorum qui  
innuitur.

Gen. 32. sit  
de divinâ  
institutione.

VI. Insignis  
vastatio Iu-  
daicæ Poli-  
tiæ sub Ha-  
driano post  
Christi ascen-  
sionem.

**XLII.** Hodiè igitur cum primis inter Judæos reperun-  
tur quidam, ut ita loquar hanc artem exprimendi, & nervos con-  
tractionis eximendi, professionem egregiè callentes, quorum in-  
dustriam ipsi reliqui Judæi vehementissimè collaudant, Germa-  
nicè loquentes Judæi vocâr *âdern* / & carnes ita præparatas, *geâdere*  
*Stleisch* / mittuntq; talia enervata femora sæpenumero ad longè  
dissita loca, & istis volunt regere suam de sacrificijs ad tempus in-  
termortuis miseriam, quemadmodum eam judicant.

**XLIII.** Est autem illa mera *ἐθελοθρησκεία*, nec olim, nec  
postea unquam divinitus præcepta. Ad quam *ἐθελοθρησκείαν*  
pertinet alia, quod mense Septembri tempore ingressus summi  
quondam Pontificis in Sancta sanctorum, (ubi hirco, juxta divi-  
nam ordinationem imponebant omnia peccata Lev. 16.) Gallum  
eligunt, in quem peccata sua conjiciunt, ne videantur in hac  
quoq; materia majoribus suis infeliciores. Sed ad verbum, ad  
Mosen, non verò ad proprii capitis commenta.

**XLIV.** Longum autem nimis foret, recensere per secula sin-  
gula inde ab Hierosolyma per Tiram destructa machinationes  
pro restaurandis ruinis & varios casus Judaicæ gentis: suffecerit  
paucissimis & præcipua quædam annotare. Et primò jam mo-  
dò superius indigitatum est, quod sub Imperatore Romano Ælio  
Adriano Barcochebas, id est, filius quidam cujusdam Cochebæ,  
stellam illam magnam sese jactavit, cuius mentionem facit Bilea-  
mus Num. 24, 17. & audacia maxima sese venditarit legatum Dei,  
coelitus missam, qui desperatissimis rebus Iudæorū succurreret.

**XLV.** Ex Thalmudicis libris de eo hæc verba recenset Christianus Ger-  
son ex Iudæo conversus Christianus in Iudæico per ipsum edito & sic intitulo  
Thalmudo parte 2. cap. 9. Scribit Thalmud cum Judaicis Historio-  
graphis de quodam homine, qui in oppido Bitter, 52. anno post  
destructionem Hierosolymæ pro Messia sese venditavit. Sed quia  
de tribu Juda, originem suam jactare non poterat, iccirco nomen  
sumsit sibi juxta Prophetiam Bileami, qui dicit: Orietur stella,  
de Jacob &c. Barcochabas, id est, filius stellæ. Et doctissimus Rabi  
**AKIBA**, qui Rabbani Gamalielis discipulus & auditor fuerat,  
confidit verbis Prophetæ, qui dicit: Adhuc modicum & move-  
bo cœlum & terram, mare & aridam, & unxit eum in Messiam

& re-

& regem. De hoc Messia scribunt Historiographi Judaici, quod  
ope Judæorum suorum ex Romanis ducenta millia virorum  
prostraverit, & quod in Africa, in Græcia, in Ægypto & in Cy-  
pro magnas copias straverit, & quod tandem Adrianus, postea  
Imperator Romanus cum magno innumerabili exercitu illum  
adortus Bitteram occupavit, & Messiam anno tertio Messia hujus  
regiminis, una cum innumerabili Judæorum multitudine inter-  
fecerit: & quod Rabi AKIBAM, qui PseudoMessiam unxerat  
ferreis dentibus laceravit, filium Gamalielis Rabi Simeonem  
decollavit, Rabi Israëlem excoriarit, Rabi Chenaniam combus-  
terit, Rabi Judam sagittis confoderit, & Jeschebab canibus la-  
cerandum objecerit. Ita ut in Threnis, quos adhuc hodiè ca-  
nunt Judæi, significetur, quod propter hunc Messiam plures Ju-  
dæi fuerint interfecti, quam in ipsa destructione Hierosolymæ.  
Et paulo post: Rabi Juda dixit, hunc hominem non amplius vo-  
candum esse, Barcochba filium stellæ, sed Barcosba filium men-  
dacij. *Hæc omnia sunt verba Christiani Gersonis.*

XLVI. Allegat autem ipse ex Thalmud tum Sanhedrin fol.  
97. tum Zemach David fol. 41. tum Echa Rabthi fol. 71. 77. item  
ex Bereschirh Rabba, fol. 74. citat verba Rabbæ, quod in Bitter  
perierint, octies centena millia hominum. Quæ ideò adducere  
placuit, ut si lectori benevolus res esset cum Judæis, haberet, quos  
propriis libris ipsis opponeret. Et ex hoc brevi exemplo elu-  
cet quid sentiendum sit de controversia, quæ intercessit inter  
Reuchlinum & conversum Judæum, quorum hic omnes Judæ-  
orum Thalmudicos libros comburendos, iste verò servandos &  
in usum bonum contra ipsos Judæos usurpari posse demonstravit. Exemplum in-

XLVII. Adducit exemplum notabile Galatinus lib. 1. cap. signis frau-  
7. de fraude Rabinorum recentium, qui Iesum Nazarenum de adul-  
teram, magnum & idolatram legisq; subversorem fuisse, *daica.*  
& tandem sua ob scelera meritò suspensum Christianis ex anti-  
quioribus Thalmudicis libris monstrant, ut incautis fucum fa-  
ciant, & rectè, quia talis Iesus Nazareus extitit stante templo Thalmud  
secundo, regnante Hircano, Maccabæo, Simonis Maccabæi filio, *scribitur ha-*  
de quo ipso (non autem de Jesu Nazareno passo sub Pontio Pila-  
to) Thalmudici libri ista rectè referunt. *buisse ips. m-*

C 2

48. De vatoris no-  
stri.

*Adrianus Imp.  
Hierosolymam  
à Tito destru-  
tam readifi-  
caverat & à se  
nominaverat  
Æliam.*

**XLVIII.** De Pseudo Messia Barcobach scribit etiam Eusebius (ut alios plurimos omittam) lib. 4. Et Nicephorus lib. 3. cap. 24. Libet autem ex Nicephoro quædam annectere: Sic igitur habet ille: Hadrianus quinquaginta & octo myriadas (hoc est, quinquies centena & octuaginta millia) Judæorum uno die interfecit, & quæcunquæ ex vetustis ædificiis reliqua adhuc fuerant, diruit prorsus, & solo ita æquavit, ut ne lapis super lapidem permaneret, & oraculum Servatoris ad exitum suum perductum, verborum ejus certitudinem corroboraret, civitatisquæ totius pomæriis plurimum contractis, denuo eam suo sub nomine excitavit, & appellatione sua ei imposita, Æliam vocavit atquæ in ipso templi adyto statuam ipse suam collocavit. *Hæc Nicephorus.* Et ibidem ad marginem hæc leguntur verba: *Iulius Severus in Iudæam missus ab Hadriano, arces 50. diruit, & vicos 980 ferro & igni vastavit: Dion. Oros. lib. 7. cap. 13.*

*Verba Aristonis Pellæi apud Nicephorum.*

*Judæi per Hadrianum prohibentur Hierosolymam etiam ex longinquo aspicere.*

**XLIX.** Idem Nicephorus ibidem paulò post: Quæ verò & Ariston Pellæus de postremâ Judæorum obsidione literis prodiderit, commodum fuerit ex ejus verbis cognoscere. Porro rebellione atquæ defectione Judæorum longius rursus progressa, Rufus Judææ præfectus acceptis ab Imperatore militaribus copijs, & vecordia eorum, pro occasione benè gerendæ rei, subinde usus, infestis contra eos signis est progressus, & plurima passim millia virorum simul & fæminarum, atquæ etiam puerorum concidit, belliquæ jure loca eorum direpta in potestatem suam redegit. Item: Quam maximè autem bello flagrante, decimo octavo imperij Hadriani anno ad Bitheram civitatem munitissimam, nec ita longè ab Hierosolymis sitam, quum diurnior, obsidio instituta, rebellesquæ & rerum novarum studiosi, fame ac siti ad extremum exitium redacti essent, & qui eis tantæ vecordiæ auctor fuisset, dignas per vindictam pœnas dedisset, gens tota ex eo tempore, vicinam in circuitu Hierosolymis regionem prorsus attingere prohibita est, idquæ sic constitutione & sanctione Hadriani factum, qui hoc sic jussit, ut illi ne aspicere quidem ex loco quopiam editiore patrium solium possent. *Et concludit Nicephorus:* Ad hunc modum urbs Hierosolymorum Judaicum populum, antiquissimos suos colonos, interneccione summa amisit, & postea ab

ea ab advenis culta atque inhabitata, ut Romana plane civitas  
in Imperatoris Ælij Hadriani honorem Ælia est appellata. Atque  
sic quidem etiam sub hoc Judæi extremum contra Christum per-  
furorem perpetrati piaculi luere supplicium. *Hæc apud Nicephorum.*  
L. *Ad marginem ibidem hæc annectuntur:* Barcochebas perduellis  
iste, Justino Philosopho & Martyre teste apud Eusebium lib. 4.  
cap. 8. Christianos solos, nisi Christum abnegassent, atque bla-  
spheemiis incesserent, ad gravissima supplicia trahi *jussit.* Sed ve-  
rè hic extremus regni exitus fuit, quin juxta Orosium lib. 7. cap.  
13. Hadrianus Imperator præcepit, ne cui Judæo intro eundi in *Objectio, Ta-*  
Hierosolymam esset licentia. *Nec quenquam moveat quando ex men hodie*  
hodiernis peregrinatoribus audit, adhuc superesse Hierosoly- *adhuc stat Hie-*  
mam aliquam, siquidem Ælius Adrianus ipse planè novam extru- *rosolyma.*  
xit, veterem prorsus vastata, quemadmodum de veterem pror- *Resp. Sed non*  
sus vastanda CHRISTUS JESUS Dominus prædixit *illa que fuit*  
erat. Et hæc de illa infeliciter tentata Judaicæ Hierarchiæ re- *post Capt. Ba-*  
stitutione: Sequitur de alia sub Juliano Imperatore tentata. *byl. readifi-*  
Adrianus vixit circiter annos 120. post natum Christum. Sed Ju- *cata.*  
lianus circa annum Christi 360.

LI. Julianus igitur Imperator Judæis faventissimus, sed Chri- *III. Vastatio*  
stianis infensissimus, quum sacrificiis delectaretur, apud Socra- *politie Judæi-*  
tem lib. 3. cap. 20. Judæos percontatur, quam ratione sacri- *tae prorsus di-*  
ficiis abstineant, quum lex Mosis sacrificare jubeat. Illis igitur *vina sub im-*  
respondentibus, non posse se id alio loco facere, quam Hieroso- *pio Juliano*  
lymis tantum, confestim templum Salomonis restaurari mandat; *post ascensio-*  
Judæi statim insolentes facti Christianis mala cuncta minantur, *nem Christi.*  
& quia ex publico sumptus, jussu Imperatoris acceptarunt, pa-  
rant omnia ligna, lapides, lateres coctos, argillam, calcem & a-  
lia quævis necessaria. Convocantur artifices celebres undique,  
tantoque, in opere tali, ardore sunt Judæi, ut ipsæ mulieres in  
sinu & vestimentis purgamenta exportarent, & quæcunque eis  
essent monilia & mundum muliebrem omnem in structuras istas  
impenderent.

LII. Verum reliquias veteris structuræ ex imis fundamentis,  
superveniens terræ motus, evulsit, ut nec ibi lapis super lapidem  
maneret. Hac fama compulsi plurimi ex alijs locis spectatum

C 8

accur-

accurrerunt. Cum itaque (inquit Socrates lib. 3. cap. 26) mules  
adessent, aliud portentum accidit, siquidem ignis divinitus illa-  
psus cuncta artificum instrumenta consumpsit per totum diem.  
Sed & aliud accessit, siquidem sequenti nocte signa crucis instar  
radij Solaris splendentia vestibus illorum impressa comparue-  
runt, quæ octo die viderunt, abluere & abstergere volebant, sed  
tamen nullo modo poterant.

Fortissima re-  
futatio Iu-  
deorum sacri-  
ficatorum  
sub Iuliano  
Imperatore.

LIII. Hæc (inquit Sozomenus lib. 5. proxus in fine capituli 22.) si  
cui incredibilia videntur, confirmantur ab illis, qui ea ex ipsis spe-  
ctatoribus audiverunt, & adhuc in vivis supersunt: Confirmantur etiam  
ab ipsis & Judæis & Ethnicis qui opus hoc imperfectum relique-  
runt, imò ne inchoare quidem potuerunt. Tantum igitur Ju-  
lianuseffecit, cum Christi prædictiones de Hierosolymis nulla  
veritatis auctoritate niti, ostendere veller. Quin potius invitus  
certitudinem verborum Christi magis corroboratam toti mun-  
do monstrare impius coactus fuit, de Hierosolyma, quam etiam  
Plin. lib. 5. cap. 14. nominat longè clarissimam urbium orientis.

Hodierni Iu-  
dei ex toto or-  
be inter se  
multum sapi-  
usq; commu-  
nicant.

LIV. Ergo quomodo de his dubiū movere Christianis possent  
Judæi, cum plus, quam ultra mille annos tristissima ipsos coarguat  
& convincat ipsa experientia. Habuerunt n. in hunc usq; diem si-  
bi faventem Turcam, sub quo etiam amplissimos habent cætos &  
pecuniosiores sunt multis Christianorum cætibus, nec numis ul-  
lis parcerent, quo tandem ægritudinem animi, tantumq; contem-  
tum redimerent. Norunt Hierosolymis, (sicut nunc extant) ha-  
bitare homines plurimos. Imò gloriantur Polonici Judæi, se ex  
terræ Chanaanis Judæis singulis annis aliquoties literas accipere  
de statibus Judæorum intra & extra Chanaan degentibus.

LV. Ut ut autem sese res habeat, etiamsi Hierosolyma urbs  
hodiè decuplo splendidior posset reedificari, quam fuit pristina,  
etiamsi in aliqua hodiè nova reedificanda Hierosolyma, omnes  
domus privatorum essent æquales futuræ arcibus & castellis re-  
gijs, tamen prorsus nihil hoc juvaret Judæos, nisi etiam templum  
in loco divinitus selecto ædificetur, qualem restaurationē infeli-  
cissimè tunc ceptam adhuc horrent, nec aliā novā tentare audent,  
nisi jubente Propheta aliquo. Et an non magna hæc fuit temeri-  
tas, cum veteres eorum majores sine Prophetarum novorū suasi-  
onibus nihil egerint, quod tum temporis Iuliano homini Ethni-  
co, parere in tanto negotio gestierunt. 56. Sed





LjVI. *Sed & posito casu, si DEUS etiam indulgeret ipsis hodiè, ut novum templum in locum pristini templi reponerent, tamen nec tum quicquã Christianos moveat. Superius enim ostensum fuit, alio nisi coelesti igne non sacrificandũ esse tali, qui spontè à Deo citra ipsorum opem & aeternam supra carnes sacrificiales demittatur. Talem autem in aeternum nunquam amplius recipient, siquidem Daniel prædixit in secundo templo apparituum Messiam, & cum secundo templo desitura sacrificia. Ergò ipsos nec urbs restaurata, nec restauratum templum quicquam relevaret, nisi iussu divino, per Prophetam sacrificare incipiant, & nisi prima sacrificia tali divino igne accendantur.*

LjVII. Hinc igitur elucet quã clarissimè, Politiam Judaicam intra terram Chanaan ideò fuisse institutam, ut esset locus, sedes & custodia sacrificiorum: ideò a. hodiè destructam, quod sacrificia finem suum sine assecuta. Qui cum Judæis negocia habebunt, his Methodis felicissimè & potentissimè, magnoq; cum fructu utentur. Non n. ut iterum moneam, Judæum aliquis convincet, qui paucis Hebraicis vocabulis ipsum urgere præsumet. Nam & linguam Hebræam habent magis notam pleriq; doctiores eorũ, & verò non tam ex vocabulis, quã ex contextibus talibus, quales hæcenus monstrati fuisse, solida vincula necuntur, quibus constringendi videntur. Interim verò Hebrææ linguæ, quo plus temporis tribueris, eò contextuum vim omnem melius tibi comparabis. Et sunt igitur jam modo in promptu divinæ providentiæ indicia quã plurima, quod DEI voluntate singulariter impedita sit hæcenus sacrificiorum restauratio.

LjVIII. Legantur a. apud *Christianum Gersonem*, in loco antea indigitato plura in hanc sententiam, quam ipse allegat ex Thalmud seu ex proprijs hodiernorum Judæorum libris, qui apud ipsos sunt in maxima auctoritate. Nam & anno Christi 1138 in Persia alium *Varios Messias* Messiam voluerunt recipere, & in Hispania alium anno Christi post Christum 1157 Cordubæ, & iterum alium in Arabia, anno Chr. 1167. item exaltatum *Idcirca eadem tempora in Persia, ut etiam in Gallia, & in Moravia: dei recipere* item alium in urbe Amaria circa annũ Christi 1199. sed fructaneo *sategerunt.* conatu & effectu. Semper n. exitum illæ molitiones habuerunt tragicum & funestum. Illud verò non tantum extat in libris Judaicis, sed & hodiè viventium Judæorum & Christianorum, qui ex avis suis & proavis audiverunt, testimonio confirmatur:

Nimi-

Nimirum anno Christi 1500. Judæus nomine Lemle Germanus  
*Annus Christi* vaticinatus est, eodem labente anno venturum Messiam. Toto  
*1500 annus* orbe igitur per mutuas acclamations & adhortationes excitati,  
*pœnitentiæ* Judæi pœnitentiã grandem agebant, & precibus vehementer  
*recentium Ju-* instantibus adventum ejusdem urgere anhelabant, adeò ut annus  
*deorum fuit,* ille apud ipsos meritus sit in hodiernum usque diem nomen *an-*  
*ni pœnitentiæ.*

LII. Interim durante anno 1500. moritur Pseudopropheta  
Lemle, nec quisquam Messias ipsis advenit. Hanc rem ex peri-  
tissimo Judæo Rabino in adolescentia mihi propter linguæ He-  
brææ amorẽ tunc faventissimo ipse percepi. Deniq; an. 1534. Ru-  
benita quidam, (à se jactatus) Judæus ad Clementem. VI. P. P.  
Romam venit, simulans se esse legatum decẽ tribuum latitanti-  
um post montes Caspios, & petens auxilium à Papa & Hispanis ad-  
versus externos hostes Judæorum, sed post qualemcunque spem  
impetratam abiit & nusquam amplius apparuit.

LIX. Hæc omnia ex Schebeth Juda, Zemach David, Schalsche-  
leth, propriis nimirum Thalmudicis libris, Judææ hodiernæ  
genti, carissimis & approbatissimis auctor cognominatus re-  
censet. Semper quidem quando novum aliquem Messiam fru-  
stra expectarunt Judæi, postea quidam ad Christum sese conver-  
terunt: sed tamen interim longè maxima pars induratur magis  
magisque. Modò illud non fieret, cum aliqua Christianorum  
culpa.

*Ex Luthero* LX. Et primo quidem quam graviter scandalizentur Christia-  
*gravissima ra-* norum impijs moribus, scortationibus, helluationibus, blasphe-  
*tiones, cur* mijs, perjurijs, inimicitijs mutuis, immiserordia, rapinis, Sab-  
*pauciores sub* bathorum damnatis profanationibus, maledictionibus, notum  
*Papatu fue-* est istis Christianis, qui aliquam cum ipsis habent familiarem  
*runt conversi* conversationem. Infames quidem sunt Judæi etiam criminibus,  
*Judæi.* præsertim *usurarijs*, cum semper prætendant, sibi divinum indul-  
tum esse datum usuris urgendi Ethnicos, Deut. 23. 20. quid verò  
ad hoc respondendum, alibi in disputationibus super Deuterono-  
mium dixi.

LXI. Deinde, quo ad modum convertendi Iudæos Christianis  
hucusque usitatum, prorsus exosculari cogimur ea quæ scripsit  
D. Luthe-

D. Lutherus statim ab initio de Jesu Christo vero Judæo & semine Abrahæ. Tam illa sunt vera ac si à Propheta vetere aliquo fuissent profecta. Utrique nihil temerarium magis esse potest tali homine, qui à sua quamcunque habet religione statim in gratiam alterius hominis mutat eandem, & ad aliam se confert, etsi nulla argumenta fortia & cogentia ex Scripturis audit, quibus solis argumentis ex Scriptura petitis, conscientia potest & debet flecti, duci, & tranquillari. At à paucissimis Judæi per argumenta converti ceperunt, quin potius tantum in ipsos, debachari gestierunt, & debachationibus eosdem convertendos judicarent. Hic in extremo die major pœna decerneretur, tali debachanti, quàm Judæo debachationibus non commoto, siquidem non calumnijs, sed argumentis conscientia errantis est juvanda & erigenda.

LXII. Ipse ego (inquit Lutherus) si Judæus natus fuisset, & ejuscemodi truncos (indoctos sub Papatu Theologos veteris Scripturae per omnia ignaros intelligit Lutherus) & saxa capita, & doctores constitutos vidissem Christiani populi, citius quibusvis Turcis ac Scythis me conjunxissem, quam ejuscemodi Christianis.

LXIII. Pro belluis planè hætenus Judæos habuerunt etiam MAGNI Theologi, (pergit Lutherus) quoties enim hætenus Judæus aliquis ad fidem aspiravit, putarunt se egregiè officio suo perfunctos, ubi in gentem illam fortiter convitiati, ubi usurarios per contumeliam appellassent, ubi occisi Christi admonuissent, præterea gentem Iudaicam iidem valdè extenuarunt, cum tamen secundum carnem major sit gloria Judæorum, quàm omnium gentium aliarum, siquidem DEUS non cum alia gente, sed cum Judæis cognationem carnalem contrahere voluit, producto Messia, non ex sanguine alterius populi nisi Iudaici, ideoque huic populo per Prophetas se singulariter & semper revelavit.

LXIV. Si (inquit Lutherus ulterius) Apostoli, qui & ipsi Judæi Quod tibi fuerant, tam inhumaniter tractassent nos gentes, quam nos hætenus tractavimus Judæos, haud dubio pauci, & prorsus nulli alteri ne se ex gentibus ad Christum conversi essent. Si ergò ipsi tam fraternaliternè tractarunt nos gentes, debemus & nos vicissim, si nihil aliud nos moveat, fraternaliternè tractare Judæos.

D

65. Equi

**LXV.** Equidem (*inquit idem Lutherus*) nihil dubito, si Judæi humaniter & in eum modum, ut de infidelium convictu scribit Apostolus, piè à nobis tractarentur, & si studium tantum nostris esset, eos docere Biblia, quomodo hætenus fuit, barbarè & crudeliter objurgare, multi (nam & inter eos, quoq; boni sunt, NB. nam & pro ipsis suis cognatis Christus sanguinem suum effudit, & durissima passus est) aspiraturi serio essent ad Christianismum. Et quid ni aspirarent ad nostra, quando audirent nos, Abraham, Isaac, Jacob, & promissiones patribus illis factas, maximi facere, & fidem Abrahamæ tanquam summum & maximum exemplum justiciæ ab Apostolis & nobis celebrari, quid ni redirent ad fidem Patrum & Prophetarum.

*Sub Papatu* **LXVI.** Sed cum primis plerunq; defuerunt eruditionis Theologicæ sufficientia media, multis qui Judæos olim convertere vel debebant vel vellenti. Nimirum (*inquit iterum Lutherus*) sic procius absterri sunt, & in ipso limine resilierunt, quando audierunt superioris seculi Theologos, nihil prorsus didicisse Bibliæ, seu Scripturæ sacræ, sed in Aristotelicis argutijs consenuisse. Quotus enim quisq; interim inventus è talibus religionis Magistris, qui ex sacris Scripturis Judæos tales catechumenos serio erudiret. Quotusquisq; qui Christum eos ex Mose & Prophetis & Patrum suorum Abraham, Isaac, & Jacob promissionibus doceret? Papæ & Ecclesiæ Romanæ obœdientiam eis inculcare unicum studium fuit.

**LXVII.** Quando ergò considerarunt Judæi, tot & tanta in Scripturis tam claris verbis Israël à DEO promitti, Et Theologos illos Sacerdotes & Monachos, qui ipsos erudiebant, nihil quam humana commenta & nugacissimas nugas afferre, cedo qui potuerunt ex animo converti, qui potuerunt sibi satisfacere aut tranquillis esse conscientijs. Hæc pleraq; omnia verbis Lutheri potius quam meis proponere volui, quod & nimis sint vera hodiè quoq;. Scripsit eadem Beatissimus vir ante annos ferme centum.

**LXVIII.** Oportandum esset auræ isti admonitioni maturè à studiosis Theologiæ locum relinqui maximum, ut maturius discant solidiusq; ea omnia, quæ faciunt tum ad alios quosvis errantes.

res, reducendos, tum ad Judæos, Christi JESU cognatos, in vicinia ritè tractandos & convertendos. Nemo contemtu & ἀπαιδέσσια alium, ad suam sententiam sincere & ex corde amplectendam perducet. Nemo etiã nisi levissimæ notæ subitò mutabit religionem seu fidem in gratiam alterius: aut si facit, hypocritam ager.

LXIX. Et huc iterum pertinent illa Lutheri verba ex eodem libro: Ipse ego audi vi Hebræos, qui jam aliquot annis baptismum & Christianum nomen professi erant, id palàm profitentes, quod nisi nostra ætate audivissent promissiones VETERIS TESTAMENTI enarrari, & nisi fidem & Christum edocti fuissent, se perpetuò SVB FVCO Christiani nominis IVDÆOS incredulosq; mansuros fuisse. Hæc iterum beatissimus Lutherus, cuius consilium in ultimo die laudabit iudex vivorum & mortuorum, unicè autem æmulari sagagent omnium ætatum & locorum studiosi Theologiæ.

LXX. Reliqua de Judæis Messiam non rectè expectantibus vide lector apud Galatinum, item in schola Judaica Buxtorffij, & apud alios auctores.

### CONCLUSIO DUODECIM PRO- blematum Sacrificialium, & usus eorundem conjunctim.

Et tantum de isto quoq; utroq; Problemate; Sic enim nunc satis parebit. 1. quod in statu innocentie nulla unquam fuissent futura sacrificia talia, qualia postea viguerant in Hierarchia Israëlitica 2. quod ista demum & illico post lapsum cæperint. 3. quod fuerint pia considerationes passionis & mortis Domini. 4. quod tantum caelesti igne accensa fuerint. 5. quod suo modo expiarint peccata hominum. 6. quod semper ordinariè tantum in uno loco debuerint administrari, (Exod. 20. In deserto constituti jubentur sacrificare in omnino loco, quem arca quiescens monstrabat, donec venirent ad requiem, ideoq; isto peregrinationis tempore tantummodo terreum altare faciebant, aut lapideum ex rudibus lapidibus, quod facile destrui posset.) 7. quod non potuerint administrari nisi ab illo populo, ex cujus linea proditurus erat Messias. 8. quod tamen exteris quoquè sacrificia petere licitum fuerit.

D 2

9. quod

Objectio ex  
Exodi 20.  
cum Respon-  
sione.

9. quod non nisi usq; ad passionem Christi debuerint tanquam typi  
passuri Christi 10. quod Messias venerit durantibus sacrificijs 11. quod  
post Messiae passionem etiam locus & ignis sacrificiorum fuerit  
destructus & perditus, 12. quod mirabili providentia divina jam  
ultra sesqui-mille annos nec locum sacrificiorum Iudaei restaura-  
re, nec signum aliud vel ignem etiam sacrificialem recuperare po-  
tuerint, quin talia frustra posthac in perpetuum sint expectaturi.

LXXI. Iam invictus est hic syllogismus, qui ex his datis &  
probatis conficitur.

Pro merito  
Christi ex  
XII. haec  
nus proposi-  
tis proble-  
matis.

LXXII. Si sacrificia non caeperunt, nisi cum promisso Mes-  
siae, teste Scriptura, si eadem non nisi circa locum exhibendi Mes-  
siae vigere debuerunt, teste Scriptura, si non debuerunt peragi nisi  
a populo, ex cujus semine proditurus erat Messias, teste Scriptura,  
si non debuerunt durare, nisi ad tempora Messiae, non vero ultra,  
teste Scriptura: si post passionem Messiae abrogata penitus fuere,  
nec unquam restitui possunt teste Scriptura, tum sacrificia digito  
semper intento monstrarunt in Messiam, & sibi id quod praecipu-  
um fuit in sacrificijs, aliquem, ad Messiam respectum necessario  
habuerunt, iterum teste Scriptura.

LXXIII. Sed prius illud omne est verissimum juxta expres-  
sissimas Scripturas haecenus prolixè adductas in XII. probl.

Ergò hoc quoq; verissimum esse necesse est, iterum juxta  
expressas sacras Scripturas.

LXXIV. Deinde invictus est quoq; hic alter Syllogismus: si pecora  
sacrificialia nimirum ut typi ad antitypum juxta beneplacitum  
DEI oblata expiarunt peccata hominum ipsis imposta suo modo, te-  
stibus sacris Scripturis, multo magis caro JESU Christi facta  
sacrificium pro peccatis nostris ut antitypum expiavit peccata totius ge-  
neris humani ipsi imposta, iterum testibus Scripturis. Sed prius  
illud verissimum. Ergò & hoc postremum simul est verissimum.

Pecora pro  
hominibus  
inter sacrifi-  
candum in-  
terficiuntur.  
Ergo Chri-  
stus (non oc-

LXXV. Invictus etiam est hic explicatorius Syllogismus. Si pecora  
sacrificialia portarunt & expiarunt sibi imposta peccata homi-  
num, testibus Scripturis, tum mortem sustinuerunt loco hominum  
prævaricatorum, juxta magnam misericordiam Domini, Sed prius  
Ergò & posterius. Item iste: Si pecora loco hominum passa  
sunt, tunc quando Christus dicitur pro nobis pati & mori, præ-  
positio,

positio Pro nihil aliud significat, quam **LOCO NOSTRI, VICE** nostri, sicut & præpositio **PROPTER** nihil aliud significare potest, Sed prius, Ergò & posterius.

**LXXVI.** Deniq; si propositio **PRO & PROPTER** in dictis, *Christus passus est pro nobis* significat **LOCO & VICE** nostri, tum falsissima est Socini glossa, quasi significet occasionalem passionem, ut cum patitur Apostolus ab auditoribus tali doctrina quam prædicat accidentaliter infensus, Sed illud est. Ergò & hoc. Id quod omne & solum hisce XII. Problematibus fuit demonstrandum *ὅτι ἐκεῖ ἐδείξαι* quod ajunt.

**LXXVII.** His igitur omnibus modis conscientia Christiani hominis adversus Socinianas graves objectiones muniatur firmissimè, tranquillabitur jucundissimè, acquiescet pientissimè. Nihil autem perniciosius esset, quam nescire ipsissimum verum modum salutis. *Nostræ* Ecclesiæ profitentur, cunctos homines salvatos esse, salvari & salvandos esse, non nisi ex **DEI** misericordia propter meritum & satisfactionem Domini nostri Jesu Christi, quem vegeta & sincera fide amplecti debent.

**LXXVIII.** Econtra *Socinus* disserit, nos tantopere errare, ut magis errare nequeamus, qui existimemus, Patrem tam voluisse esse crudelem, tradere proprium Filium in mortem, innocentem pro nocentibus, nos non rectè intelligere vim sacrorum oraculorum. Notum est cordatis & eruditis lectoribus qualia in nostram doctrinam scribat omninò cor mordicantia verba, alicubi in libro suo de Servatore, quæ adducere non libet. Nec dubium est multos bonos illis gravibus verbis moveri. Et allegare possum experientiam vivorum hominum bene eruditorum, qui in Scriptis *Socinianis* versati erant, scrupulos inde perceperant & dissimulabant. Tandem verò de hac Methodo certiores & confidentiores redditi respondebant, **NUNC** se meritum Christi non amplius habere pro Adiaphorò.

**LXXIX.** Eandem fortem experiri passim pios homines, & dubitationum torqueri stimulis, cum libros Socinianos passim in Germaniæ civitates venire, immò venisse animadvertamus, nemini dubium eris. Ex hoc etiam huc usq; jacto fundamento solidissimo & junctissimo pro satisfactione Domini nostri **IESU**

**D 3 Christi**

*casionaliter ut martyres, sed) pro hominibus mortuus est.*

*Sententia & confessio nostrarum ecclesiarum.*

*Confessio Arianorum recentissimorum.*

*In lib. de Serv. part. 3. cap. 3.*

*Arianorum & Socini Scripta multis*

*movenent dubia, que non omnes aperiant sta-*

*tim.*



Christi facta pro peccatis totius mundi, facillimè deinceps re-  
spondere poterat ad ea omnia, quæ in contrariam sententiam  
objicit Socinus per totum suum hætenus diutissime proinvicto  
habitum librum de Servatore.

*Argumenta pro merito Christi fortius defendi ex sacrificiorum doctrina ipse Socinus fatetur.* LXXX. Nam & ipse Socinus in libro eodem testatur, pro merito Christi fortius argumentum dari non posse, quam illud à sacrificijs desumptum, unde in eodem detorquendo tam voluit esse occupatus. Sic enim scribit de Servatore parte 2. cap. 16. De ultimo tuorum testimoniorum capite, IN QVO MAIOR VIS ESSE VI-  
DETVR, Jam DEO annuente, disserere aggrediamur. Hæc Socinus incipiens tractare de SACRIFICIIS.

*An SACRIFICIA suo modo fuerint veterum Sacramentale quiddam.*

LXXXI. Porrò fuerunt ista sacrificia suo genere Sacramentale quoddam, cujus usus erat pia applicatio expiationis per sanguinem Christi potentissimè futuræ. Quod hæc ita sese habuerint, ex disputatione tertia luculentissimè, & cum primis ex quarta, id est, ex problemate tertio apparet. Cur enim inter sacrificia ardentissimas peccatorum confessiones, precia, cantica, & collaudationes Domini adhibere decuit? Cur in actibus sacrificiorum Messia recordari debuerunt, si per sacrificia nullius beneficii à Messia expectandi per fidem istis ritibus confirmatam participes reddi potuissent aut debuissent. Qua de re totum illud Problema exactissimè expendatur.

LXXXII. Nullum est dubium, de Sacramentali ista sacrificiorum ratione contineri plurima in libris veteribus Judaicis, si & copiam, & versionem latinam istorum haberent Ecclesiæ nostræ, ut ex stercoribus vel istas pulcerrimas Margaritas seligere possent. Optimus vir, Petrus Galatinus hanc materiam de sacrificijs suo tempore quoad vim meriti Christi non controversam, præterivit, qui alioquin multa egregia ex Thalmudicis nobiscum communicare potuisset, sed & si placuerit ipsius DEI voluntati, deinceps aliquem excirabit, qui de articulo veteris Ecclesiæ Judaicæ sententias nobis proferet. Et si enim Problemate tertio prolatum DEI verbum de hoc negotio nobis per omnia solum satisfacit, tamen interim non insuave esset, videre perpetuum hac de re veteris Ecclesiæ consensum.

83, Idem



**LXXXIII.** Idem Petrus Galatinus lib. II. c. 2. Ceremonialia dicit Quae benefi-  
fuisse omnia sacrificia tanquam figuras eorum quae in Messia & a *cia veteres*  
Messia fieri debebant, quae quae iccirco adveniente Messia finem *Iudei à*  
habere debuerint. Item dicit; Sacramentalia fuere agnus Pascha- *Messia ex-*  
lis, vitula ruffa, & reliqua hujus generis, quae passionis Christi fi- *pectanda in*  
gura & umbra erant. Iccirco quae eo adveniente, cujus typum ge- *suis libris*  
rebant, cessare omnino debuerunt, quod ea Christus patiendo & *scribant.*  
moriendo impleverit.

**LXXXIV.** Capite autem sequente tertio affert haec verba formalia,  
quae ponam ordine: Manifestum est, quod ipsamet lex suam muta-  
bilitatem secundum loci mutationem testetur. Id idem quoque per  
priscorum Thalmudistarum dicta probatur, quae etsi plura sunt,  
unum tamen duntaxat brevitatis gratia satis sit adducere ex libro  
scilicet *Sanhedrin*, capite quod incipit *Elluhahukim*, ubi sic dici-  
tur. Dixit R. Johanan, in omnibus, in quibus dixerit tibi Pro-  
pheta, transgredere legem, obtempera, excluso idolatriae cultu,  
Ubi denique, concludunt, quod si tempus exigat aliquid de lege  
mutari, quod appellant *Horath sa*, id est, indicatio horae, vel  
temporis, illud Propheta ac etiam aliquis minor quam Propheta,  
dummodo suo in seculo sapientior caeteris habeatur, mutare po-  
test. Quod si illa temporis occasio perduraverit, & illa quoque pars  
legis sic mutata pertinebit. Idem etiam R. Moses Aegyptius in  
libro *Judicum* plane ostendit in *Halcoth mamorim*, id est, in sen-  
tentijs rebellium cap. 2. Taceo hic Cabalistarum sententiam, qui  
ajunt legem traditam fuisse propter *SERPENTIS VENENVM*,  
in Adam immissum, & Messia adveniente, hujus modi *VENE-*  
*NVM CES SATVR VM*, & per consequens, legem ipsam in ad-  
ventu Messiae cessare debere. *Haec omnia sunt verba Galatini.*

**LXXXV.** Ubique igitur fuit veterum Judaeorum haec con-  
fessio, ex Serpente, venenum venisse in Adamum, nec illud ces-  
saturum, nisi adveniente Messia, & interim leges quasdam serva-  
ri, quae suo tempore mutationem experiri, necesse habebunt.  
Facient omnino haec quoque ad hodiernos Judaeos melius con-  
futandos. Ex hac enim doctrina ipsorummet Judaeorum elici-  
tur, peccatum in lapsu venisse in genus humanum, quod non  
possit tolli nisi per Messiam, Hocque pacto Messias prodest  
Adamo

Adamo & omnibus posteris Adami, sicquē verē completur ora-  
culum patribus datum, In semine tuo benedicentur omnes gen-  
tes Gen. 12. &c.

*Qua benefi-  
cia recentes  
Iudaei à Mes-  
sa expectēt.* LXXXVI. Nimis enim frivola & puerilia sunt beneficia,  
quæ imaginantur hodierni Judæi à Messia expectanda, quæ ex  
ipforum Judæorū libris commemorat in schola sua Iudaica *Bux-  
torfius* cap. 36. 1. reductio omnium Iudæorum, in terram Chana-  
an, 2. ædificatio tertii templi, 3. resuscitatio mortuorum (forfan  
Iudæorum) 4. restauratio politia Iudaicæ, cujus regimini subji-  
endus sit totus orbis terrarum, 5. vindicta sumenda de hostibus  
Iudæorum, 6. de populo Iudæorum experte futuro omnium mor-  
borum & ad vivacitatem summam perventuro eam, quæ fuit in  
patribus ante diluvium, 7. de revelationibus divinis, quod DE-  
UM visuri sint à facie ad faciem, 8. de Iudæis futuris sine mala  
concupiscentia & quæ sunt alia, quæ lector ibidem videbit ipse.  
Longe saniora ex cabalisticis jam protulit nobis Petrus Galatinus,  
*sed & cap. 3. ejusdem libri refert de sacrificiis & quam plurimis ceremo-  
nialibus, talia ea esse, quæ secundum Thalmudistarum sententi-  
am extra terram promissionis, ad observandum non obligent.*

*Agnus Pas-  
schalis &  
russa vacca  
non sunt  
proprie sa-  
crificia reli-  
quis sacrifi-  
ciis propriis-  
simis similia.* LXXXVII. Obiter iterum tamen annotandum, agnum  
quoque Paschalem, tum rossam vaccam sacrificiis proprie dictis,  
non posse accenseri. De agno Paschali superius causæ fuerunt  
allatæ. De vacca malo audiri Lyrae quam mea verba. *Rectissime i-  
gitur ex contextibus Lyra in hunc modum scribit super Num. 18.* In lege e-  
rant duæ purificationes, una ab immunditie spirituali, quæ con-  
tingit ex peccatis, & ista quæerat gravior purificabatur per obla-  
tiones & sacrificia, ut habetur Levitici 4. & 5. ALIA autem erat  
ab IMMUNDITIA CORPORALI, quæ contingit ex tactu ali-  
cujus rei immundæ, vel alia immunditia corporali per quam effi-  
ciebatur homo ineptus ad ingrediendum locum cultus divini, ita  
quod tales immunditiæ erant quasi quædam irregularitates im-  
pedientes accedere ad locum divini cultus quam diu manebant:  
Et tales purificabantur per aspersionem aquæ lustrationis, in qua  
commiscebantur cineres vaccæ combustæ, & de ista purificatio-  
ne agitur hic. *Hactenus verba Lyra.*

LXXXIX. Nimirum vacca rubea, omni vitio carens,  
jugum

jugum non experta mactatur & comburitur extra castra, collectusque cinis reponitur in loco purissimo extra castra, servatur in usum aquæ separationis, Nam PECCATUM EST, inquit versus nonus, ὅσα γὰρ πάσης αἰτίας ἵνα, aqua asperfusionis purificatio est, inquit Græca versio, pro peccato est, ait interpres Chaldaicæ paraphraseos Onkelos. Est peccatum, hoc est, purgatio pro peccato, ut nimirum qui tetigit mortuum immundum; sepulcrum, cadaver, &c. nec audeat interesse cœtibus publicis, hoc pacto iterum mundetur seu mundus declaretur, quemadmodum leprosum corpus & domicilium mundabatur passere Levitici 14. per totum.

LXXXIX. Etsi verò vacca ruffa sacrificiis propriè annumerari non potest, tamen interim & agnus Paschalis & Passer & vacca ruffa possunt dici typi etiam quidam Christi pro nobis purificandis mactati, cruentatiq̄ue, sicut de agno Paschali 1. Cor. 5. 7. de vacca ruffa extat Hebr. 9. 13: Ubi Apostolus conjungit purificationes ab immunditie spiritali & corporali, ut ostendat sanguinis Christi magis infinitam virtutem his verbis, si sanguis taurorum & hircorum & cinis Iuvenæ aspergens inquinatos sanctificat ad carnis puritatem, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum eternum seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus, ad servandum Deo vivo. De passeribus duobus pro leprosis mundandis glossa ordinaria quædam habet, quæ tamen cum iudicio sunt usurpanda.

XC. Objici etiam poterat scrupulus ex Num. 5. de sacrificio Zelotypiæ, quod super uxorem suspectam de adulterio afferebat Domino cibatorium maritus, an illud fuerit mandatum sacrificium pro inquirendo delicto adulterii ignoto. Verum enim verò propriè Zelotypia in marito erat, & sacrificium Zelotypiæ erat pro mariti Zelotypia, per quod sacrificium petebat maritus zelotypus à Deo veniam propter institutam Zelotypiam. Sic enim habent præcedentia: Si polluta fuerit & latuerit, & transierit super maritum spiritus Zelotypiæ, testis verò non fuerit, vel si transierit super eum spiritus Zelotypiæ zelatusq̄, fuerit uxorem suam & ipsa non fuerit polluta. Ecce lector, quia maritus eventum ignorat, iccirco propter uxorem suam accusatam ex zelotypiæ fundamento affert sacrificium zelotypiæ, revocans in memoriam factum de quo uxorem accusat non nisi ex zelotypiæ fundamento.

Questio de  
sacrificio zeo  
lotypia ex  
Num. 5.

E

Hoc



*Per sacrifici-  
cium zeloty-  
pie non fuit  
inquisitum  
adulterium  
latens.*

**XCI.** Hoc igitur zelotypiæ sacrificium propriè ad maritum pertinet: ad mulierem verò pertinet potus aquarum amararum, post quem, ut post additas benedictiones & maledictiones tandem suo tempore sequebatur effectus. Etsi verò mulier tenebat zelotypiæ sacrificium, ut facilius ad ignoscendam viro accusationem postea moveretur, tamen per sacrificium, non explorabatur adulterium. Non autem dubium est, multos maritos hoc sacrificio à temerariis accusationibus fuisse prohibitos, sicut potu aquarum publicè suspectis tolerando & secutis quandoque pœnis miraculosis & effectibus gravibus mulieres aliæ plurimæ rigidius in pudicitia fuere servatæ.

*Quod sacri-  
ficia fuerint  
sacramenta-  
le aliquid ex  
Augustino.*

*Sacrificia e-  
rant verba  
promissiva  
secundum  
Augustinum.*

**XCII.** In propriè igitur sic dictis sacrificiis homines expiabantur quoad peccata apud DEUM, fideque erga Messiam istis adumbratum placebant DEO. Huc recenseatur illud Augustini super Psalmum 39. Tom. 8. Verba Augustini sunt hæc: Sacrificium & oblationem noluit, ait Psalmus DEO. Antiqui enim quando adhuc sacrificium verum, quod fideles norunt, in FIGURIS PRÆNUNCIABATUR, celebrant FIGURAS FUTURÆ rei, multi scientes, sed plures ignorant. Nam Prophetæ & sancti Patriarchæ noverant, quod celebrabant. Cætera autem multitudo iniqua carnalis sic erat, ut fieret de illo, quod significaret posteriora ventura, & venit sublato illo sacrificio, sublatis holocaustis arietum, hircorum, vitulorum cæterarumque victimarum, noluit illa DEUS. Quare noluit illa? quare primo voluit? quia illa OMNIA quasi verba erant PROMITTENTIS & verba PROMISSIVA, cum venerint, quod promittuntur, jam non enunciantur. Tamdiu quisque promissor est, donec det, cum dederit mutat verba. Non dicit adhuc dabo, quod se daturum dicebat, sed dicit, dedi, mutavit verbum. Quare illi primo placuit hoc verbum, & quare illud mutavit? quia temporis sui verbū fuit, & pro tempore placuit. Quando promittebatur tunc dicebatur: cum a. datum est, quod promissū est, ablata sunt verba PROMISSIVA, data sunt COMPLETIVA. Sacrificia ergo illa tanquam verba PROMISSIVA ablata sunt. Quid est, quod datum est completivum? Corpus quod nostis, quod non omnes

omnes nostis, quod utinam qui nostis omnes, non ad iudicium  
noveritis. Videre quando dictum est, Christus enim est ille  
Dominus noster, modo loquens ex persona sua. Sacrificium  
inquit & oblationem noluit. Quid ergo? Nos jam hoc tem-  
pore sine sacrificio dimissi sumus? Absit. Corpus autem perfe-  
cisti mihi. Ideo illa noluit, antequam hoc perficeres. Perfectio  
promissorum abstulit *VERBA PROMITTENTIA*. Nam si ad-  
huc sunt promittentia, nondum impletum est, quod promissum  
est. Hoc promittebatur, quibusdam signis: ablata sunt *SIGNA*  
*PROMITTENTIA*, quia exhibita est veritas promissa. In hoc  
corpore sumus, hujus corporis participes sumus, quod accipi-  
mus, novimus, & qui non nostis, noveritis, & cum didiceritis,  
utinam non ad iudicium accipiatis. Qui enim manducat & bi-  
bit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, perfectum est no-  
bis corpus, Perficiamur in corpore. *Hactenus verba Augustini ex lo-  
co allegato.*

*Augustinus  
sacrificiam  
comparat  
cœnae Domi-  
ni.*

**XCHII.** Referantur huc & alia quæ idem habet tomo 3. de  
fide ad Petrum Diaconum, cap. 19. *Verba eius hæc sunt:* Firmissimè te-  
ne & nullatenus dubites, ipsum unigenitum **DEUM** verbum  
carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium ejus hostiam  
**DEO** in odorem suavitatis, cui cum Patre & Spiritu sancto à Pa-  
triarchis Prophetis & sacerdotibus tempore Veteris testamenti  
animalia sacrificabantur, & cui nunc, id est tempore Novi testa-  
menti cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est una divi-  
nitas, sacrificium panis & vini in fide & charitate sancta Eccle-  
sia Catholica per universum orbem terræ offerre non cessat. In  
illis enim *CARNALIBVS VICTIMIS* figuratio fuit carnis  
Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblatu-  
rus, & sanguinis, quem erat effulusurus in remissionem peccato-  
rum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio atque  
commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & san-  
guinis, quem pro nobis idem **DEUS** effudit. De quo B. Paulus di-  
cit in Actibus Apostolorum: Attendite vobis & universo gregi,  
in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam  
**DEI**, quam acquisivit sanguine suo. In illis ergo sacrificiis, quid  
nobis esset donandum, *FIGURATE SIGNIFICABATUR*. In hoc  
autè sacrificio, quid nobis jam donatum sit, evidenter ostenditur.

*Iterum Au-  
gustinus com-  
parat sacri-  
ficia cum cœ-  
na Domini.*

*Ergo spi-* In illis sacrificiis pronuntiabatur filius Dei pro impiis occiden-  
*ritualiter,* dus: in hoc autem pro impiis annunciatur OCCISVS, restante  
*carne Chri-* Apostolo, qui Christus cum adhuc infirmi essemus, secundum  
*sti mandu-* tempus pro impiis mortuus est, & quia cum inimici essemus re-  
*carunt ones* conciliati sumus Deo per mortem Filii ejus &c. *Huc usque ille in illo*  
*pii inde ab* loco.

*initio post-*  
*lapsum.*

XCV. Hæc non adduntur, propter adversarios Arianos, quibus Augustinus, ut Augustinus prorsus sorder, sed propter nostros ut videant eodem loco ab Augustino sacrificia vetera fuisse habita, quo etiam habentur ab Apostolo ad Hebræos, id quod Arrianis animum movere debet, nimirum pro externis ritibus, quibus ante nativitatem Christi homines pii sibi met passuri pro nobis Christi beneficia applicabant, sicut nunc in nostris Sacramentis cum externis symbolis offeruntur & accipiuntur, caro & sanguis Christi, exhibiti, & per fidem applicatur singulis gratia meriti Christi, cum omnibus beneficiis ejusdem. Si igitur sacrificia fuere typi passionis & mortis Christi, necessario eadem, nos decet agnoscere, pro sacramentali quodam patrum. Et si enim vox hæc SACRAMENTALE, *Neppndew* de istis usurpata, non legitur: tamen res ipsa facilima in his negociis agnosceretur. Si typi fuere mortis Christi, utiq; hominibus istis fuere typi, non verò sibi metipsis tanquam rebus inanimatis, immò & cadaveribus. Si fuere typi mortis Christi hominibus, utique homines inde de Messia beneficiis in sese redundaturis meditandi sumserunt occasionem, inde gavisi sunt accipere consolationem de remissione peccatorum, & de resurrectione corporum in ultimo die per Messiam præstanda.

*Questio de*  
*medio exter-*  
*no, per quod*  
*gratia Mes-*  
*sia salvandis*  
*fuit applica-*  
*ta*

*Supra demō-*  
*stratum fuit,*  
*quodam sa-*  
*crificia fuisse*  
*oblata pro*  
*toto mundo.*

XCV. Iam etiam facilima apparet responsio ad questionem, si omnes homines ab initio post lapsum non nisi per meritum Messia salvari debuerunt, quoniam in medio ipsis promissio divina gratia, cum beneficiis Messia futuri fuerit applicata, nimirum, præter verbū etiam per sacrificia, tum generalia illa, quæ fiebant pro omni populo, ut per duos agnos holocaustales, quorum unus mane, alter vesperi singulis diebus offerebatur, pro omni cognatione Israël, & pro his, qui cum illa ex Ethnicis conjungebantur, ut per duos Hircos oblatos die ingressos summi sacerdotis in sancta sanctorum quot annis, pro uno quovis in specie, quoties unusquisquē, sacrificia specialia offerre gestie.

gestiebat. In sacrificiis & precibus sacrificialibus fuerē cōclusi  
infantes adhuc in utero delitescētes, Ethnici nondum conversi,  
fœminæ virorum conjugatæ & aliæ, adeoque nemo ibi exclude-  
batur. Id quod hoc in loco probatum dare non denuò laborabi-  
mus, cum factum sit superioribus disputationibus luculenter.

XCVI. Jesus enim Christus heri & hodie & idem in secula  
Heb. 13, 8. Nobis Evangelizatū est, sicut & ILLIS (veteribus) Heb. 4. 2.

*An sacrificia pertineant ad legem, an verò  
ad Evangelium.*

Arquē qui sensum jam expositum de sacrificiorum sacramentali  
usu recto percepit, is rectius demum intelliget, quod sacrificia nō  
pertinuerint ad legem sic dictū, quatenus Evangelio opponitur,  
sed ad ipsissimum Evangelium. Dispescitur enim doctrina sacra  
in legem & Evangelium, & tum lex & Evangelium sunt opposita,  
atque lex significat illam doctrinam, quam Ecclesia in statu inno-  
centiæ professa & secuta fuisset, nimirum legem moralem, & in-  
de deductas leges civiles, seu forenses, cum aliquot ceremoniali-  
bus, qualis lex ceremonialis fuisset prohibitio arboris viticæ.

*Sacrificia  
an ad legem  
moralem &  
forensem,  
an ad Evā-  
gelium per-  
tineant.*

XCVII. Evangelium autem significat doctrinam post lapsum  
revelatam de mediatore Christo, satisfacturo pro peccatis no-  
stris & interim adumbrando per sacrificia etiam post lapsum de-  
mum instituta. Nam ante Evangelicam primam concionem  
nulla erant sacrificia, & ideo ad legem in statu innocentiae do-  
cendam referri non possunt. Statim verò post promulgatam no-  
vam, Evangelicam nimirum doctrinam, simul promulgantur  
novæ ceremoniæ, videlicet sacrificia, quæ iccirco necessariò ad  
Evangelium pertinent. Accedit alia causa, siquidem quicquid in  
sacrificiis principaliter & primario proponitur, illud nonnisi ad  
Evangelium referri potest, videlicet adumbratio mortis Christi  
pro aliis subeundæ.

XCIIIX. In scholis doctrinæ gratia certo respectu lex dispe-  
sci solet, in legem moralem ceremonialem & forensem, & ad ce-  
remonialem LEGEM solent sacrificia connumerari, hac nimirum  
de causa quia in sacrificiis spectatur mandatum externū aliquod,  
simile aliis mandatis ceremonialibus quale mandatum ceremo-  
niale erat arbor prohibita, & quia ibidem est externa quædam in

*Obiectio  
cum soluta.*

oculos valde incurres ceremoniam. Evangelium est vox de mediatoro Christo sua morte satisfacturo pro toto genere humano, sacrificia sunt Evangelium typicum seu Evangelium ceremoniale externis ritibus representans & ob oculos hominum, ponens illud ipsum, quod verbis suis nobis proponit ipsa doctrina Evangelica.

XCIX. Quoties igitur ex quotidianis jugibus sacrificiis, ex anniversario solennissimo sacrificio magno in die ingressus summi sacerdotis in Sancta sanctorum, ex aliis quibuslibet sacrificiis remissionem peccatorum audierunt annunciari veteres, toties Evangelicas voces ceremoniales hauserunt de Christo, cujus merito justificentur. Et nequaquam veteres per opera legis, nos per meritum Christi salvamur: sed & illi & nos salvamur per gratiam Domini nostri Jesu Christi, Act. 15. 11. per gratiam Domini Jesu Christi credimus nos salvatum iri, quemadmodum & illi (ubi veteres, recentes Patres, & Ethnicos simul concludit vox divina.)

*Vide Formulam Concordia cap. 5. de LL. & Evangelio in solida declaratione.*

C. Quapropter vocabulorum horum (V. & N. Testamentum) acceptio diversa, apud auditores probissime est distinguenda. V. T. lex est (inquit) Philippus Melancthon in thesibus à Lutero approbatis tom. 1. Op. Wit. Latinorum fol. 433.) hoc est decalogus & alia ordinationes politicae & ceremoniae additae decalogo, N. Testamentum non est Lex, sed est remissio peccatorum & promissio gratiae & donatio Sp. S. & V. æ. propter Christum. Et Evangelium revelatum est longe ante Mosis legem, sed dicitur N. T. quia Christus exhibitus est novis temporibus. Utrumque autem Testamentum N. & V. h. e. Lex & Evangelium semper in mundo extiterunt & existent & patres justificati & salvati sunt, non per Legem sed per Evangelium, quia fide receperunt reconciliationem & Sp. S. propter Christum.

CI. Hæc ita se habent, si Veteris Testamenti vox sumatur de Lege, quam Deus Adamo in statu innocentiae proposuerat observandam, & si Novi Testamenti vox accipiatur de Evangelio, quod supervenit post Legem in statu innocentiae. Interdum verò Vetus Testamentum significat statum religionis & ceremoniarum ante Christi nativitatem, inter quas sunt, quibus meritum Christi fuit representatum: sed Novum Testamentum significat statum religionis & ceremoniarum qui coepit post natum & passum & exaltatum Christum.

Sic



CXIII. Sic novi & prioris testamenti eodem sensu extat Heb. 9, 15. mentio, ubi dicitur *prius* representatio Christi per sacrificia, *novius* Christi per sacrificia representati olim, sed jã exhibiti ministeriũ.

CXIV. Et hoc pacto sacrificia pertinent ad testamentum vetus, quod exhibito Christo fuit abrogatum, eiq; successit novum, unde sanguis Christi effundendus dicitur calix novi testamenti in verbis Cœnæ. Cæterum doctrina ipsa Patriarcharũ & Prophetarũ usq; ad Christum dici solet etiam vetus testamentũ, cum potius debeat dici veteres instrumentum seu vetus Scriptura.

CV. Audiatur *Cheremittius* in prima parte examinis *non ita longè ab initio*, & quidem sub titulo, *de Scriptura novi testamenti*, ubi hæc habet verba: Si vetus testamentum intelligunt de doctrina Patriarcharum & Prophetarum usq; ad Christum (*QVOD IMPROPRIE DICI*, Augustinus docet, & ostendit, potius *VETVS INSTRUMENTVM* appellandum esse) certè doctrina illa per annos 2454 sine scripto, per traditionem vivæ vocis tradita & propagata fuit. *Hæc ille.*

CVI. Locus Augustini allegatus extat Libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium scripto, capite quarto. Et perinde est sive appellentur scripta vetera, ante Christum divinitus edita vetus instrumentum sive vetus testamentum, modo hoc observetur, Testamenti appellationem esse æquivocam, ideoq; diligenter distinguendam, ne cum audiunt aliqui vetus testamentum esse abrogatum, illico cogitare occipiant, veterem Scripturam divinitus omnem abrogatam, adeoq; illam hodiè ad mores sanctè regendos, & ad crimina punienda nullo jure allegari posse.

CVII. Communis est ille error plurimis & valdè noxius. Etsi enim libenter fatemur, ceremonias suum finem sortitas esse, etsi etiam leges merè judiciales, & ita merè specialiter judiciales, ut alteri politiæ extra terram Chanaan servire non possint nec debeant, omninò sublatas statuimus, tamen in iisdem veteribus libris continetur fundamentum legis moralis solidissimum & plenissimum, continentur leges de homicidijs, veneficis, & alijs maleficis puniendis, quas hodiè etiam retinent Christiani per orbem terrarum, continentur conciones de persona officioq; & beneficijs Messia, quæ omnia nemo nisi in Deum ingratiſſimus spre-

verit

verit vel divinitus abrogata & nunc inutilia censuerit. Et notum est, adversarios nostros Photinianos hac in parte non parum peccare, quemadmodum etiam faciunt omnes Anabaptistæ qui ex solo testamento seu instrumento novo disputare contendunt, quasi Deus cum ceremonijs etiam omnia scripta vetera pessumdedisset.

CII. Formula Concordiæ in loco de Lege & Evangelio Evangelium vocat propriè promissionem de remissione peccatorum & justificatione nostra per Christum, & dicit hoc una cum lege inde à condito mundo in Ecclesia propositum fuisse. Rectè etiam docet, quandiu nobis Christi passio & mors iram DEI ob oculos ponunt & hominem perterrefaciunt, quod tam diu non sint propriè concio Evangelii sed Legis & Mosis doctrina: & quod sint alienum opus Christi, per quod accedat ad proprium suum officium quod est prædicare de gratia DEI, consolari & vivificare.

CIX. Hæc in conveniente diversorū respectuū discrimine rectissime habent & ita simul manet quod Brentius in explicatione symboli Apostolici, atque alii nostrates rectè declarant nimirum quod Patriarchæ obtulerunt, non fuerunt nisi conciones de futura passione Christi, & publicæ professiones qua testabantur, se in solo sacrificio promissi seminis querere peccatorum suorum remissionem, & earum justiciam & salutem. Hoc igitur sensu sacrificia nihil nisi oculares Prophetiæ & Evangelicæ conciones de merito passionis Dominicæ fuerunt.

CX. Cæterum concludimus hæc XII. problemata diligenti inculcatione istius optimè notandi. In itinere Emmauntico Luc. 24, 32. & in diversorio Hierosolymitano ex Mose Prophetis & Psalmis Christus interpretatur omnia de se in illis scripta, & dixit, Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati & intrare in gloriam suam, ut arderet cor ipsorum. Et libenter concedemus, Christum in illa concione serpentem æneum, & Jonæ tridunæum subterraneum carcerem & Simsonis portas exportatas, & alios typos plurimos allegasse.

CXI. Interim verò unius cuiusque iudicio committimus, an non existimet tunc Christum protevangeliū de semine contrituro caput serpentis, de typis passionis Christi, nimirum de sacrificiis illam omnem attulisse & explicasse doctrinam potentissimè, cujus nos hæctenus in XII. problematis istis sciographiam saltem aliquam dedimus. Nam in doctrina sacrificiali: τὸ ὄν & τὸ διόν adeoque apodictica sunt & irrefutabiles argumentationes, quibus animos fluctuantium discipulorum erexit & confirmavit. Eandem doctrinam typis reliquis Jonæ, Simsonis & aliis plurimis reddidit illustriorem.

CXII. Quomodo autem oculariter in eadem doctrina tunc repetita ex Mose, & Prophetis & Psalmis declaraverit suam capturam, sui corporis dilaniationem & cruentationem, mortem suam, hoc ex specialibus seremoniis inter sacrificandum adhibitis deinceps *ovw* *Ἰησὺ* itidē quantum fieri omnino potest paucissimis & facilissimis verbis demonstrabimus.

Christo pro nobis tam dura passio laus sit in  
seculorum perennitates.

F I N I S.

94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692





Sb.

VD 17

21,7.99 Bd.







DISPUTATIONUM THEO-<sup>39</sup>

LOGICARUM

DE

SACRIFICIIS

SATISFACTIONIS CHRIS-

TI PRO PECCATIS TOTIUS MUN-

DI PRÆSTITÆ, TYPIS FIR-

MISSIMIS.

*Adversus recentiores Arianos seu Photinianos, Satisfactio-*  
*nem CHRISTI omnem pernegantes*

D U O D E C I M A:

Quod post ascensionem Christi locus & ignis sacrificiorum  
divinitus fuerit destructus, & Quod ab illo tempore in hunc usq; diem  
iste restaurari non potuerit, & nunquam restaurari possit deinceps.

QUÆ

In Collegio Disputationum Theologicarum privato in Templo Arcis  
ad d. 2. Augusti. Anno d. 1706. in incluta VVitteber-  
gensium Academia habebitur.

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO, S.S.

Theologiae Doctore, & Professore Publico.

RESPONDENTE

M. HIERONYMO WEIXELBERGERO,

Wessens. Austrio.

VVitteberga, Typis Johannis Gormanni.